
325

C


480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Divinâ PRÆSIDE Juſtitiâ,

FORUM S. IMPERII ROMANO-GERMANICI PRINCIPUM,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA ULTRAJECTINA,

Conſenſu

Ampliſſimi Senatûs Academici,

Ad diem XI. Januarii, An. MDCXCII.

ſolenniter disquirendum,

exponit

JOHANNES GUILIELMUS COMES de WURMBRAND. poſtea Præſes

H. L. Q. C. Conſilii Imp: Aulici.

TRAJECTI AD RHENUM.
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ Typographi.

10
325 C 480
KW

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

PROOEMIUM.

EX quo mihi celeberrimæ Lipſienſi Academiæ commiſſo, bonis artibus atq; diſciplinis liberaliter admodum, ultra triennii ſpatia innutriri contigit; jactis ibidem, Almi Numinis auſpicio, haud infeliciter ſtudiorum fundamentis, ſubinde ſtimulavit animum non exigua cupiditas, ingenii virium, quas poſueram ibi, periculum faciundi, quidque valeant humeri, quid ferre recuſent, ſpecimine quodam Academico propediem experiundi. In me itaque inquirenti mihi, cujuſnam generis materiam ſtudiis pariter meis ac indoli accommodatam maximè exiſtimarem, ſubjiciebat animus, FORUM S. IMPERII ROMANO-GERMANICI PRINCIPUM altiori curâ indagandum: Thema quippe tritum minus, ſimulq; ob materiæ dignitatem, meo

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

quidem judicio, nusquam non commendatiſſimum. Egregio huic argumento meas devoveram vigilias, cum ſuperiorum Autoritate mandata imponerentur, in Belgium iter proximè ſuſcipiendi, quæve Hagæ Comitum, in conventu tot maximorum Principum, curioſis oculis, ſpectatu digna obvenire ſoleant, coràm intuendi: Itaq; turbato conſilio, quod recens apud animum conſtitueram, intra vota mihi conſiſtendum fuit. Verum enim vero, poſt breve intervallum, occaſionem, ſuſcepto operi ulterius inſiſtendi, nactus, emenſo neceſſario tempore, ſummas, pro virili mea, labori tandem impoſui manus, eundem, hodierna luce, publico Eruditorum examini oblaturus: Numen itaq; Benigniſſimum flagrantibus votis ſubmiſſè veneror, ut conatus meos divino Spiritu moderari, atq; feliciſſimos largiri velit ſucceſſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

PROLEGOMENA.

THESIS I.

NOn arbitror neceſſum fore, in limine Diſſertationis multa de vocabulis, quibus argumentum hoc tractandum indigito, operosè commentari; bene memor, ex verborum theſauris eorundem rationem facillimè depromi poſſe, neque notiones iſtas cuiquam, Romanam linguam callenti, peregrinas fore, confido. Itaque ne tritis inhæſiſſe fortè nimium videar, ſatius futurum exiſtimo, nominali verborum explicatione remiſſa, ad realem me convertere.

II. Deſcribitur autem Forum Imperii Romano Germanici Principum, quod ſit Locus vel Judicium, ubi Principum Imperii cauſæ controverſiæ legitimè ſecundum jura & conſuetudines ventilantur & deciduntur. Adeoque in eo poſitum argumenti mei ſcopum cupio, ut clarè eluceſcat, ubi & coram quibus Caput S. Rom. Imp. Imperator, cæterive Electores & Principes Imperii in Jus vocari poſſint. Cum autem forum aliud ſit Divinum, aliud humanum, de poſteriori hoc loco agere conſilium eſt.

III. Imperatoriam Majeſtatem quondam apud Romanos veteres in cauſis propriis, mortalium nullius agnoviſſe Judicium forumque humanum quoddam ſortitum haud fuiſſe, ex Jure Civili evidentiſſime conſtat. Etenim, par in parem, neque inferior gradu in ſuperiorem, Imperium Judiciumve exercere poteſt, *l. 4. ff. de recept. arbitr. l. 58. ff. de Judic.* Et ſummi Principis ſolum Deum Judicem eſſe non ſubditos, patet ex *c. nemo judicat. 3. & ſeqq. 9. animadvertit q. 3. c. Princeps. 23. q. 5.* Qui itaque poterit Imperator, qui neminem inter homines æqualem, minus ſuperiorem reveretur, poſt Dei O. M. aliud quoddam recognoſcere judicium? Idcircò in propria cauſa ſententiam pronunciare maluerunt Imperatores, ceu à Tiberio memoriæ proditum eſt, qui in perſona Parthenii Servi ſui Jus ſibi ipſi dixit. §. *f. J. de vulg. ſubſt. l. 41. ff. de hæred. inſtit.* Simili ratione D. Antoninus in propria cauſa ſententiam dicere non

averſatus eſt *l. penult. ſ. de his q. in teſtam. delentur. Buxtorf. Diſſert. ad A. B. c. V. concl. 76. Rumelin. ad A. B. Diſſert. V. §. 3. p. 101.* Et ſeculis quoque poſterioribus D. Henricum IV. Imperatorem eo reſpexiſſe, & Principis ullius terrarum Orbis tribunal recognoſcere detrectâſſe, patet ex codicillis ad Hildebrandum Pontificem Rom. datis, quibus inſeruit, ſeſe Sanctorum Patrum traditione, ſolius Dei Judicio ſubeſſe, ut videre eſt apud *Goldaſt. Tom. I. Conſtit. Imper. fol. 50.*

IV. Magiſtratuum autem Romanorum & aulæ Imperialis Procerum magna olim quoque erat autoritas. Ita Prætorio Præfectus, ſic Exercitus Duces, cubiculique ſacri Præpoſiti Magiſtrive officiorum, qui domeſticam Scholam regendam ſuſceperant, Viri denique alii Illuſtres, non honorariam, ſed cum adminiſtratione dignitatem habentes, pulſati crimine, ſive publicum iſtud fuerit, ſive privatum, coram alio nullo niſi Cæſare, ejusque ſacro cognitore (cui tamen, poſt delatam ad notitiam Imperatoris criminis ſpeciem, nihil quidquam contra tantos Viros ſtatuere integrum erat) ſiſtere ſeſe cogebantur, *l. f. C. ubi Senatores & Clariſſ. Mancin. ad eund. Tit. Cod. Perez. eod. loc.*

V. Verùm enim verò, aliam jam cum Reſpublica noſtra referat faciem, ſummus Princeps ejusdem, quamvis mortalium nemini concedat, infra tamen dignitatem ſuam haud exiſtimat, humano Judici & Tribunali cauſarum ſuarum cognitionem ſubjicere ſententiæque latæ ſe conformem reddere. Porrò licet ſatis olim Magiſtratuum Romanorum aulæque Imperialis Procerum conſpicua fuerit autoritas, nullo tamen prorſus modo eosdem cum Sereniſſ. Imperii Rom. Germanici Principibus (ſi præſentem rerum ſtatum intuearis) conferri, minus æquiparari poſſe, nemo fortè non animadvertit. Proinde, ne diutius contemplationi Principum & Magiſtratuum veteris Romanæ Reipubl. immoremur, operis propoſiti regula admonet. Adeoque, remiſſis prolixioribus verborum ambagibus, tribus Capitibus Diſſertationem hanc complecti, animus eſt: *Primo* de Foro Imperatoris, Auguſtæ, Romanorum Regis, & Vicariorum Imperii: *Secundo* de Foro Electorum & Principum Imperii in Germania: *Tertio*, de Foro Principum Imperii in Italiâ commorantium, acturus.

 CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

CAPUT I.

De Foro Imperatoris, Auguſtæ, Romanorum Regis & Vicariorum.

I. DIctum paulò ante, mortalium neminem, Jure communi Romani Imperatoris Judicem conſtitui: nihilominus tamen ex ſacris Legum Voluminibus demonſtrari poteſt, morem iſtum hodienum in Imperio noſtro receptum, neque præjudicium afferre Majeſtati Imperatoriæ neque imminuere eandem, arg. *l. 4. C. de LL. l. 3. C. de Teſtam. §. fin. J. quibus mod. teſt. infirm. l. 1. & 2. C. ſi adverſ. fiſc. t. t. ubi cauſ. fiſcal.* quibus adde *Buxtorff. ad A. B. C. V. Concl. LXXX. & not. ſub tit. E. & F.* qui hanc ſententiam, adductis variis JCtorum autoritatibus, propugnat. Ita in propriâ causâ admittere alterius ſententiam & naturali æquitate confirmatur, & civili non repugnat, *l. 17. ff. de Judic. & l. ff. 10. de Juriſd. Grot. d. J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 1. n. 2. & l. 2. c. 20. §. 8. n. 4. Buxtorff. loc. cit.* qui *Bodinum* quoque in Tractatu *de Republ. L. 4. §. 6.* ſuis partibus adhærentem habet. Quamvis invidioſus iſte Romanæ Majeſtatis obtrectator in eodem opere de Republicâ *L. 1. c. 8.* aſſerere non erubeſcat, imminui ſummam iſtam in terris Majeſtatem, cum in Jus vocare Imperatorem noſtrum ſolitum in Imperio, & ſine læſæ Majeſtatis crimine permiſſum ſit; pro erroneâ iſtâ opinione ſummis viribus contendens velut

Danais pro navibus Ajax.

Et cum boni Principis non poſtrema virtus ſit, neque ſe ſuper Leges efferre, neque Juſtitiâ ſuperiorem eſſe velle, *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 12. & c. 7. §. 11. n. 2.* ſed quo plus poſſit, eo moderatius Jure ſuo uti, optimi Imperatoris Trajani egregio exemplo, qui ſtrictum Præfecto Prætorio enſem porrigens, ejuſmodi negotium demandabat: Hoc pro me utere, inquit, ſi juſtè imperavero, ſin minus, contra me, *v. Grot. l. 1. c. 4. §. 6. n. 5. l. 1. c. 3. §. 8. n. 13.* Sic quoq; honeſtati pariter ac modeſtiæ ſummi Principis vel maximè conveniens eſt, cauſarum ſuarum cognitionem non ſibi reſervare, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

vel arbitris conſtitutis, vel Conſiliariis aut ſubditis committere. Gradum aliorum præceſſit laudatiſſimo ſuo exemplo Fridericus Imperator, qui Parium Judicio in controverſiâ feudali ſubjicere ſeſe non indignum Majeſtate ſuâ judicavit, *Tit. de Pac. Conſtantiæ §. ſententiæ: verſic. & ſi qua controverſia.* Præterea conſtat, neque Galliarum Reges Patriis ſeſe exemiſſe Judiciis, quin potius, ut omnem iniquitatis ſuſpicionem à ſe depellerent, ſententiæ à Parlamento latæ, quamvis causâ ceciderint, ſubſcripſiſſe. *Qua in re* (Gothofredi JCti verba ſunt) *tantùm abeſt, ut quidquam Majeſtati illorum detractum ſit, ut potius eo nomine ſecuriorem reddiderint eandem.* vid. *laud. Gothofr. ad L. un. C. ne quis in ſua cauſ. judic.* Pari modo in Arragonia Juſtitiam Arragonicam eſſe conſtitutam, quæ Regi jus quoque dicat, teſtatur *Borell. de præſt. Reg. Cathol. c. 46. n. 54.* In Dania autem univerſum Regni ſenatum, in cauſis Regi cum alio intercedentibus Judicio præeſſe, contendit *Arniſ. de Jur. Majeſt. l. 1. c. 6. n. 11.* & in Capitulatione Chriſtierni II. cautum fuiſſe ait, ut Rex ad poſtulata litigantis uſitato Judiciorum more reſpondere velit. Utque pluribus exemplis res magis magisque in aperto ſit, Regem quoque Bohemiæ ratione Sileſiæ, Vratislavienſe Judicium ſubire ait, *Chrad. P. 10. ſ. 1. n. 13.* Et intuitu Glogovienſis Ducatus Pares Curiæ Glogovienſis recognoſcere teſtatur *Beuſt. in l. admonendi n. 194. ff. de Jurej.* Regem verò Hungariæ Palatinum Regni habere Judicem, omnes conſentiunt rerum Pannonicarum ſcriptores. Electores Saxoniæ coram Curia ſuperiori Lipſienſi conveniri, teſtatur *Churfürſtliche Sächſiſche Ober-Hoffgerichts-Ordnung zu Leipzig. rubr. Wer vor das Ober-Hoff-Gericht.* Duces Saxoniæ curam Provinciali Curia Jenenſi reſpondere, videre eſt ex *ordinat. renovat. Curiæ Provincial. cap. 17. pr. Strauch. Exerc. 3. n. 8.* Principes verò Auſtriacos à ſubditis ſuis conventos Nobili cuidam Judicis munia demandare, *Guſpinian. in Auſtr. p. 37.* tradit.

II. Ex dictis itaque ſatis patere ſuperque reor, haud infra ſummam Imperatoris dignitatem poſitum eſſe, dum à pluribus jam ſeculis invaluiſſe deprehendimus, Imperatores ab aliis conventos non indignum Majeſtate ſuâ judicâſſe, coram Judice, quamvis inferiore, ſeſe ſiſtere. Neque tamen his Judicium ſubeundi muniis Pontificem Romanum ornatum eſſe, omninò aſſerendum eſt. Quamvis contrariam partem validè tueri ſummis adnitantur viribus

ribus

ribus Canoniſtarum non pauci, & ex illis vel præcipuè *M. A. Peregrinus de Jure Fiſci l. 1. tit. 2. n. 6. & 12.* noviſſimè autem *Martha de Jurisd. Eccleſiaſt. P. 1. c. 24.* eo potiſſimum argumento: quod Imperator negare haud poſſit, Chriſti Imperio ſeſe ſubjectum eſſe, Pontificis autem Romani & Chriſti O. M. cum idem velint eſſe tribunal, atque illum hujus in terris vicarium conſtitutum, hinc Papæ Juriſdictionem in ſe, Cæſarem, noſtrum detractare non poſſe, *Limnæus J. P. l. 2. c. 11. n. 22. ad A. B. C. V. obſerv. 15. Rumelinus ad A. B. Diſſert. IV. th. 5.* Epiſcopo namque iſti ceu Vicario Chriſti ſupremam poteſtatem in Univerſum terrarum Orbem eamque directam, pariter in ſpiritualibus atque temporalibus tribuere non erubeſcunt, *Hoſtienſis in cap. quod ſuper his 8. extra de vot. & vot. redempt. & alii.* Bellarminus autem ſaniorem paulò amplectens ſententiam *L. 5. de Rom. Pontif. c. 15. n. 6.* cum ſuis aſſeclis in Eccleſiaſticis directam, in Politicis indirectam, illimitatam tamen poteſtatem (falsò quidem) addicunt; cujus intuitu ſupremum Judicium ſuper omnes mundi Poteſtates ſibi arrogavit Pontifex, ut patet ex *c. paſtoralis de ſentent. in Clement. c. grandi de ſupplend. negl. Præl. in 6. c. intellecto de Jurejur. vid. Spreng. J. P. L. 11. C. XXXVI. p. m. 315.* Et licere ipſi Imperatorem ſolio Imperiali exuere, & vacante Imperio rerum gubernacula gerere, denique ſumma iſta in terris poteſtate (donicum alius ad faſtigium illud Majeſtatis evectus fuerit) uti, ſtatuit modò allegatus Cardinalis Bellarminus cum aliis, accerſitis de domo ſuâ teſtibus *ex c. Apoſtolicæ 2. de ſentent. & rejud. lib. 6. c. venerabilem 34. x. de Elect. Clementin. Roman. de Jurejur. &c.*

III. Primùm ſeculo undecimo Romani Pontifices hunc affectâre honorem, eorumque anteſignanus extitit Gregorius VII. antea Hildebrandus dictus, de quo *Onuphrius Panvinius in deſcript. vitæ ejus: Huic*, inquit, *Romana Eccleſia acceptum ferre debet, quod Imperatoribus, Regibus & Principibus ſit præfecta;* & paulò poſt: *Primus omnium Pontificum hic, præter majorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum* (Henricum IV. putat) *à quo, ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare ſed etiam Imperio privare auſus eſt; res ante ea ſecula inaudita.* Pluribus videſis celeberrimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

JCtum *Zieglerum Diſput. de Origine & incrementis Jur. Canon.* § 31. *ſeqq.* Controverſia hæc ſæpius inter Imperatorem & ſedem Romanam mota, & utrinque acriter certatum fuit, maximè Henrici IV. tempore: Teſtis eſt ipſe *Abbas Spanheimenſis Trithemius in Chron. Hirſaug. A. MCVI. Scholaſtici certant*, inquit, *& adhuc ſub judice lis eſt, utrum Papa Imperatorem deponere poſſit?* Poſtea Friderico I., dein & Friderico II. regnantibus; quorum uterque, alter ab Alexandro III. alter ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi Ao. 1243. ab imperio dejectus fuerat, *Dan. Otto Jur. Publ. c. 10. f. 211.* Neque temporibus ſubſequentibus abſtinuerunt Imperatores ſuo huic Juri ſerio invigilare & Pontificum molimínibus ſtrenuè ſeſe opponere, ceu luculenter patet ex Ludovici Bavari rebus præclarè geſtis, quas vide apud *Aventinum in Annalibus Bojorum.* Fuit & Galliæ Regibus, intuitu illius à Pontifice ſibi vindicatæ in omnes Chriſtianos Principes poteſtatis politicæ, maxima animi conſtantia, adeò, ut nunquam induci potuerint, vel minimam partem ejuſdem Præſuli Romano cedere. Ad hanc rem facere videtur reſponſum Philippi Pulchri Regis Galliæ ad Bonifacii VIII. Literas, ſatis comprobans ſuperque, quàm moleſtè tulerit iſtam à Romano Præſule affectatam potentiam, vide iſtud apud *Goldaſt. Tom. 3. Conſtit. Imperial. fol. 407.* Verùm enim verò, quicquid tandem Iuris in Imperatores pro Papâ ſuo prætendere velint Canoniſtæ eorundemque aſſeclæ, conſtanter tamen ipſis hanc prærogativam quovis modo competere negant & pernegant Doctores noſtri: videſis prolixè hanc Romani Cleri ſententiam refutatam à Buxtorff. & Auctores quos allegavit diſſ. *ad A. B. c. 1. Concl. XI. & notas ibi, & c. 5. Concl. LXXVII. Rumel. ad A. B. Diſſ. II. Ꝫ. IX. in f. Lege omninò in Diſſert. V. Ꝫ. 5. & Parte II. Diſſ. V. Corollar. prim.*

IV. An autem Imperium noſtrum, eo ſenſu, quatenus absque Imperatore Proceres ſaltem & ſtatus intellectos volumus, Imperatore ſuperius? Quæſtio hæc ſæpius inter Magni Nominis JCtos verſa, ſilentii velo tegenda non eſt: Hinc enim competens forte Imperatoris Tribunal univerſum erit Imperium, vel provocatio ab Imperatore ad idem patebit Judicium, tandem & pœnale ſeu exauctorationis Judicium contra Cæſarem inſtitui

tui poterit, quippe quæ exinde prono qu. fluunt alveo. Multi ſunt, quibus affirmativa verior videtur, atque inter eos vel præcipuo loco *Hypolitus à Lapide tractatu de ratione ſtatus P. 1. c. 3. Sect. 2. & 3.* cujus quoque premit veſtigia *Limnæus Tom. 1. Jur. Publ. L. 1. c. 12. n. 20. ſeqq. Tom. V. addit. ad eund. loc. p. 201.* Diſtinctione ſiquidem facta inter Majeſtatem realem quæ ſit in Republica, & perſonalem, alteram eamque ſuperiorem univerſo Imperio, hanc velut inferiorem, Imperatori competere aſſertum it. Quâ ratione inferre non omninò erubeſcit, Imperatorem hoſtili animo adverſus Rempubl. affectum, crimen læſæ realis Majeſtatis committere; adeoque Imperium majus utique Imperatore eſſe, cum iſthoc crimen non niſi in ſuperiorem committatur. Porrò Capitulationes introductas eſſe, ut liquidò conſtet, Imperatorem Imperio minorem habendum eſſe, cujus intuitu videlicet Imperio debeat fidelitatem juratò promiſſam, *Hortlederus ap. Goldaſt. Polit. Imper. Parte 12. Diſcurſ. 2. p. 613. ibi: und iſt dem Reich mit Pflichten verwandt: Erklärung des Landfridens zu Augſpurg de Ao. 1500. Tit. vom aufgerichteten Landfrieden*, & aliis in locis. Denique miniſtrum Imperii Imperatorem vocari ex verbis clareſcere Wenceslai exauctorationis formulæ inſertis apud *Goldaſt. Tom. un. Conſtit. Imp. p. 379.* Neque diſſimulaſſe iſthoc Ludovicum Pium Imperatorem, cum adminiſtrationem Imperii Germanici miniſterii appellatione ſalutaret, *capit. l. 2. c. 2.* cumque Imperii Majeſtas Reip. coæva ſit & longiſſimè duratura, quidni & præſtantior Majeſtate Imperatoris, veluti cum ipſo eſſe deſinente. Contrarium tuetur *Reinking. de Regim. Sec. & Eccleſ. l. 1. Claſſe II. c. 2. n. 70. 72. ſeq. & Claſſ. 5. c. 9. per tot. & Fibig. in elect. Jur. Publ. Semidec. 7. quæſt. ult. & Semidec. 8. qu. 1.* hiſce potiſſimum argumentis: Cum apud Imperatorem legitimè in Regimine conſtitutum ſit Majeſtas, hoc eſt, ſuprema in Republica poteſtas, inde fluere, eminentiorem hac Majeſtate aliam Imperio ſupereſſe non poſſe. Ita namque Imperator Univerſis & ſingulis Imperii ſtatibus ſecundum DEI & Leges Imperii ex plenitudine poteſtatis imperare ſolet *Receſſ. Imp. de Ao. 1521. ſub Tit. Ordnung des Landfriedens in Princ. ibi: Entbieten allen und ieden Unſern und des Reichs Churfürſten, Fürſten, Prælaten &c. Unſern und des Reichs Unterthanen &c.* porrò: *Aus Römiſch: Kayſerlicher Macht*

und Vollkommenheit: & paſſim aliis in Receſſibus. Præter enim DEUM, ſuperiorem ullum Imperatorem haud recognoſcere, communi Electorum Decreto Ao. 1338. adverſus Pontificem Romanum publicato, pronunciatum *Aventin. l. 8.* Nam quemadmodum caput corporis humani partibus omnibus ſuperius, ita & Imperatorem velut caput Politicum Imperii, ſupremum moderatorem exiſtere; cumque poſt DEUM ipſi omnes in Imperio rationem reddere neceſſe habeant per *R. J. de A. 1529. §. und nach dem &c.* ibi: *Wie ein jeder ſolches gegen Gott und Seine Majeſtät gedenket zu verantworten,* omniumque dicatur imperii ſtatuum Dominus Clementiſſimus *R. J. de A. 1525. inpr.* ibi: *Unſer Allergnädigſter Herr,* & plurimis aliis in locis. Ipſi autem ordines in ſubſcriptione humillimos Imperatoris, *unterthänigſte*, imò interdum, *aller-unterthänigſte* ſeſe profiteantur, utique poſt Deum Imperatorem & Univerſo Procerum & ſtatuum ordine conjunctim ſingulisve meritò cenſeri ſuperiorem. Ponderatis duarum ſententiarum, quas modò recenſuimus, fundamentis, utramque ſuſtineri poſſe, modò quid per Imperium intelligatur, probè conſideraverimus, *Carpzov. q. 5. addita diſp. Feudali 9.* vult, ejusmodi autem vocis acceptionem duplici venire ſenſu: proprio, quatenus denotat totum Imperii corpus iſtoc Politicum, Capite Imperatore & membris i. e. Statibus Imperii conſiſtens, *A. B. Tit. 2. §. Joh. N. Erz-Biſchoff. R. J. d. an. 1530. §. dergleichen Wir. it. de A. 1541. in pr. d. A. 1546. §. Dieweil aber. circa fin. de anno 1523. §. und fürter.* quo ſenſu autoritatem Imperii h. e. Imperatoris & Procerum conjunctim accepti, majorem eſſe ſolius Imperatoris poteſtate, ſtatuit. Abuſivo autem ſenſu, ſi per Imperium Proceres duntaxat ac ſtatus quis intellectos cupiat, ut in *Inſtr. Pacis art. 4. §. Quod ad domum. & art. 10. v. 4. & 2. 3.* cenſuram utique mereri Limnæi & alius cujuſcunque erroneam ſententiam ait; cum nemo ſit qui neſciat, Imperii Principes & ſtatus in conſortium Poteſtatis & Majeſtatis ita receptos eſſe, ut major pars penes Imperatorem reſideret, eique ſoli Majeſtatis Jura quædam reſervata eſſe: Hinc etiam Imperii formam ad Monarchiam magis, quàm ad Ariſtocratiam inclinare, licèt Ariſtocraticè ſit mixta. Cæterum minus accuratè à Limnæo Majeſtas quædam Perſonalis (quæ ſit penes Imperatorem) in reſpectu ad realem (qua gaudeat Imperium, prout ille Imperii vocem accipit) dicitur

citur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

citur, cum in omni Republ. non niſi una reperiatur Majeſtas. Ea ſiquidem diviſio, quamvis à *Schuzio tractat. de ſtatu Rei Romanæ* Doctoribusve quibusdam aliis applauſum meruerit, cæteris tamen ob Rerumpubl. genium ſuſpecta viſa eſt, notante *Stamlero Tr. de reſervatis Imperii §. 12. n. 1. & §. 8. n. 1.* Etenim cum Majeſtas ſit in civitate ubique ſuprema poteſtas, neque à natura ſua & definitione degenerare unquam, minus alio reſpectu utraque ſumma, alio iterum quædam inferior, quædam ſuperior eſſe poſſit: ideò diviſionem illam inter Majeſtatem ſummam & non ſummam neutiquam admittendam, neque ulla ratione alia excuſandam eſſe, ſtatuit *Oldenburger. ad Limn. enucleat. l. 1. c. 10. th. 4. ſeqq.*

V. Ex hujus quæſtionis ſolutione & illa dependere videtur, an ab Imperatore ad Imperium, hoc eſt, Proceres & Status ejusdem, provocare integrum atque permiſſum ſit? ſiquidem, ſi ponamus, Imperium ſuperius Imperatore haud eſſe, ab hoc ad iſtud tribunal dubio procul non valebit appellatio. Cæſar autem noſter ſolus dicitur, ad quem ab aliis provocatur, cujusve ſententia Legis vim habet, *l. 1. ſ. 1. ff. à quib. appell. non licet. l. f. C. de LL.* Proinde Mauritius Haſſiæ Landgravius, contra Decretum Cæſaris ad Imperatorem & Status appellaturus, provocatione rejectâ, repulſam tulit. Haud ſecus atque Colonienſis Elector, qui à Cæſare malè informato ad melius informandum provocationem interponere, irrito quidem ſucceſſu, anniſus eſt: tantùm enim abfuit, ut appellatio admitteretur, ut potius Notarius ſuſpenſus ab officio, inſtrumenti hujusmodi confecti pœnas dederit. Verùm, an Imperator ob violatas Imperii Leges fundamentales, & ſi facti gravitas & circumſtantiarum pondus requirat, neque ſaluti Reipublicæ aliter niſi mutatâ Imperatoris perſona, conſuli queat, ſolio Imperiali juſtè & legitimè exui poſſit? quæſtio certè non levis momenti oritur. Et partium ſtudia vel maximè hic verſari omninò deprehendimus. Etenim, qui affirmativam defendere præferunt, autorum numero non pauci, in eâ hærent opinione, cum non abſolutè nec ſimpliciter, ſed certis conditionibus juratò promiſſis, quæ ſub Capitulationibus appellatione veniunt, ad gubernacula Reipublicæ Imperator admoveatur, quas ſi non præſtiterit, jusquejurandum violare, & impio animo Reipublicæ interitum meditari non erubuerit, eo ipſo Imperii jus illi reſolvi, & legitimè ſolio Imperiali

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

riali ipſum deturbari, *Reinking. de Reg. ſecul. & Eccleſ. L. 1. Cl. 1. c. 5. n. 86. & L. 1. Cl. 11. c. 2. n. 32. Carpz. de Lege Regia C. ult. n. 2.* Nam cum Cæſarea, ut vocatur, Capitulatio, ſimilis Legi Comiſſoriæ, ſit conditionalis quaſi ſtipulatio, cujusque conditio ſi deficiat, ipſa ſtipulatio committi dicatur *§. 4. J. de V. O.* Ideò volunt, neceſſitatis neutiquam fuiſſe, expreſſis verbis in Capitulationibus deponendi Jus Imperii Ordinibus ſartum reſervare, cum ex natura contractus ſatis id appareat, arg. *l. 3. ff. de Reb. cred.* Adeſſe ajunt porrò, Adolphi & Wenceslai Imperatorum depoſitorum exempla,, eademque haud facti ſed juris; quoniam præviâ deliberatione diligentiſſima conſilium deponendi inierunt Principes, qui Imperii baſes ſunt, & libertatis vindices, pro quibus, utpote juramento Imperio obſtrictis, præſumtio militat, rem omnem ordine pariter & ſecundum Legum normam confectam eſſe. *Schütz. tr. de ſtatu Rei Rom. Exerc. 111. θ. 30. Limnæus T. 1. Jur. publ. L. 2. c. 11. & Tom. V. in addit. ad L. 2. c. 11. & tractat. de Capitul. Imperat. ſect. x. p. 33. ſeqq.* Ex adverſa parte ſequuntur negantium caſtra, qui in eam abeunt ſententiam, Principibus Imperii & Statibus jus deponendi Imperatorem prorſus nullo modo competere, quoniam in Imperio Lex Commiſſoria reperiatur nulla, cujus argumento Ordinibus in caſu contraventionis jus eligendi alium & deſtituendi contravenientem permiſſum atque reſervatum eſſet. Diverſum enim remedium iſto caſu *in Capitulationibus Caroli V. art. 33. & Ferdinandi I. art. 30.* & aliis offendi, videlicet: quam primum Imperator limites præſcriptæ regulæ tranſire in animum inducat, ut omnia ipſo jure nulla & irrita ſint. In textu: *Das alles ſoll Krafftlos, todt und abſeyn, inmaſſen wir* (puta Imperatorem) *es auch iezo, als dann, und dann als iezo, hiemit caſſiren, tödten und abthun*; huc collimat, *tractat. Arniſæi de poteſt. Princip. in populum ſemper inviolabili.* Hinc, ajunt, Sereniſſimos Electores, iſtius remedii intuitu, caute omninò amittendi Imperii ſcopulum præteriſſe: nam cum Imperator ſuam Majeſtatem ſoli DEO acceptam ferat, nemini mortalium integrum eſſe, ſolio Imperiali ipſum dejicere, neque Statibus ipſis, cum in obſcuro lateat, ſit ne ea DEI voluntas, ex conſcientia autem dubia nihil prorſus agendum eſſe, optime monet *Dn. Vitriar. Inſt. J. P. p. mihi 103.* Præterea, æternam dicunt adeſſe Juris divini regulam, obedientiam præſtandam omnibus Imperiis humanis,

etiam

etiam injuſtis atque infeſtis, *Rom.3. v.2.* Quamvis autem Imperator ad certa quædam capita juratò promiſſa, teneatur, non tamen ejus perfidiam, populum, Imperio ejus obſiſtentem, judicio divino eximere, neque proviſiones Regnorum introductas, immortalem Dei Legem imminuere poſſe. Unde *Felden in Not. ad Hug. Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 4. p. 46: Quod liberi*, inquit, *parentibus debent, idem & ſubditi Regi, qui civiliter præeſt, præſtandum obligantur; & quia ſumma ſunt horum beneficia, injuriæ parvi faciendæ, facilè enim per beneficia reliqua compenſantur.* Vide prolixè de his agentem *Stamlerum tr. de reſerv. Imperii §. 17. n. 4. ſeqq.* Cæterum ad exempla depoſitorum Imperatorum, quæ producuntur, reſpondent, absque diſcrimine collecta eſſe ea; Ludovici enim Pii & Henrici IV. alterum nefarium & injuſtum, alterum quoque per factiones Pontificias fuiſſe conflatum. Adolphi iſtud Naſſovii vagè & crudè allatum, absque ulla luce hiſtoriæ, cujus tunc temporis magnus fuit defectus; neque ex hiſtoricis antiquioris notæ, juſtitiam ejus negotii probari poſſe; denique ſolum Wenceslai intereſſe exemplum, non injuriâ fortè depoſiti: Verùm enim verò, exauctorationem iſtam legalem fuiſſe & juſtam, neutiquam affirmari poſſe, ſique extraordinaria & inter diræ neceſſitatis caſus referenda, ideò tamen ſub Juris ſpecie & pro præjudicio allegari non poſſe, cum extraordinaria & excepta haud conſtituant regulam. Præſertim cum Principum & civitatum Germaniæ diverſi, deſtitutum Wenceslaum nihilominus pro Impetatore habuerint, teſtante *Bœcler. in Notit. Imp. L. IV. c. 1. §. 5. p. m. 114. ſeqq.* junge *Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 9. & c. 4.* Itaque, funeſto hoc occurrente caſu, cum remedia alia non inveniant locum, quo ad ſaniora conſilia capeſſenda reduci poſſet Imperator, hoſtili animo in Rempubl. affectus, ſed pergat, univerſum peſſundare Imperium, Jus defenſionis non autem offenſionis, contra Cæſarem Proceribus ſartum tectumque remanere, quod pro redigendo in ordinem ſummo principe exercere poſſent, ſtatuit *Stamlerus loco ſupr. alleg.* Non minus autem conſultum fore, exiſtimat Bœclerus, quo majores turbæ evitentur, Regem Romanorum tunc ad Imperii gubernacula ſimul admoveri, *vid. eund. in Not. ad H. Grotium L. 1. c. 4 §. 9. in fine.*

VI. Admonet verò laboris propoſiti regula, conſideratis præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

cedentibus foliis, quæ pro Pontifice Romano militare videbantur argumentis, ut paginas jam noſtras honori Sereniſſimi Palatini Comitis velut certiſſimi Majeſtatis Imperatoriæ Judicis, libemus; certiſſimi, inquam, cum inſigne iſtud Domus Palatinæ Privilegium per Auream Bullam Divi Caroli IV. expreſsè confirmatum ſit, conſuetudine quidem ſeu uſu antiquo jam antea introductum. Etenim familiare iſthoc Imperatoribus, non tantùm ante Auream Bullam compilatam, ſed dudum quoque ante Adolphi Naſſovii & Alberti I. Auſtriaci tempora fuit, ut, ſi ab aliquo ſeſe conveniri paterentur, coram Palatino Comite, aſt liberè & proprio motu, ſiſtere ſeſe dignarentur, teſtante *Buxtorff. diſſ. ad A.B. Cap. V. Concl. 79. in not.* ubi teſtimonium producit ex *Speculi Saxonici. libr. 3. art. 52. inf. & Weichbild. l. 1. art. 8. & 9.* quibus in locis Palatinus Comes Judex Imperatoris dicitur; nec iſthoc abnuit Speculi Suevici Autor *l. 2. c. 43. §. 6.* ibi: *Wann die Fürſten den König vvollen beklagen, ſo er ihnen vvider Recht thut, das ſollen ſie thun vor dem Pfalzgrafen. Item: Der Pfalzgraf vom Rhein iſt zu Recht Richter über den König, und davon hat die Pfalz viel Ehre.* Sed hæc Jurium Volumina adhuc ante Alberti I. Imperium longo quidem tempore conſcripta fuiſſe, ipſe teſtis eſt *Goldaſt. in dedicat. der Reichs-Satzungen.* Quamvis in contrariam abeat ſententiam, in rationali *Conſtit. Imper. p. 99.* aſſerens, hoc munus communi Principum voluntate ac ſuffragio, Rudolpho Comiti Palatino Rheni primum fuiſſe collatum, idque probare cupit ex Georgii Alteni Norimbergenſis Chronico, ubi hæc verba: *Darumb ſezten die andern vornehmſten Fürſten Teutſcher Nation Herzog Rudolph, Pfalzgrafen bey Rhein, zu einem Römiſchen Richter des Reichs, alſo, daſs er hinfüro zu künfftigen Zeiten aus ſeiner Tapfferkeit daſſelbe Ambt vollführen ſolt, auf daſs die Römiſch Könige bevvegt vvürden, nichts übels oder Scheltung vvürdiges im Reich vorzunehmen, dadurch Sie der Römiſchen Königlichen Hoheit unvvürdig geſchatzet vverden mochten.* Is namque Alteni ſcopus eſt, ut recenſeat, quo pacto Electores Eccleſiaſtici cum Palatino Comite conſilium ceperint, Regem Albertum, in quem offenſo erant animo, ſolio Imperiali privandi. Verùm omni modo eam Goldaſti reprobat ſententiam *Limnæus obſerv. 7. ad cap. V. A. B. §. 3.* vehementer miratus, quibus tandem rationibus adductus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ctus Vir acutiſſimi alioquin judicii eam amplexus ſit. Cui quoque calculum adjicit ſuum *Thulemarius Tract. de Octovir. c. XVIII.* affirmans, in ſententia exauctorationis Adolphi & Alberti I. expreſſis contineri verbis: *Electores propterea Palatinum elegiſſe, quod ſit Officium Palatinæ dignitatis, ex quadam conſuetudine, de cauſis cognoſcere, quæ ipſi Regi Rom. moverentur.* Sed rem eam omnem ambiguam eſſe atque Hiſtoricorum, præſertim Patriæ noſtræ, negligentiæ ſignum illuſtre tradit *Limnæus J. P. l. 3. c. 9. n. 74.* Liberè tamen & ſpontaneo motu Palatini Comitis foro atque ſententiæ Imperatores ſeſe ſubjeciſſe olim, ipſis quoque Divi Caroli verbis non obſcurè innuitur, ejus namque mentionem injiciens: *ſicut,* inquit, *ex conſuetudine introductum eſſe dicitur,* & in Germanico textu, quem ex Archivo Sereniſſimi Electoris Palatini Goldaſtus exhibet *Conſtit. Imperial. Tom. I. fol. 126.* ibi: *Und vvie doch es ſey von alter Gevvonheit ingebracht, als man ſpricht &c.* adeoque nullum olim legis vinculum adſtrinxiſſe Imperatores dicendum eſt, quoniam vulgò circumfertur, conſuetudine eſſe receptum. Neque Cæſares ipſos eam neceſſitatem imponi ſibi, omninò indulſerunt, quod Alberti I. Imperatoris comprobatur exemplo: Etenim cum Electores tres Archi-Epiſcopi & Comes Palatinus, hujus conſuetudinis prætextum præ ſe ferentes, Albertum, cum quo lites ob Adolphi Imperatoris necem agitabant graviſſimas, convenire in animum inducerent, tantum abfuit, ut ſe Judicio ſtiterit, ut potius iſtam in Jus citationem pro conſpiratione & rebellione ducendam exiſtimaverit, belloque aggredi & animadvertere in eos ſtatuerit, precibus tamen ad mitiora conſilia revocatus, alium poſt alium in gratiam receperit. Ita referunt *M. Alb. Argent. in Chron. f. 112. Trithem. in Chron. Hirſaug. An. 1302.* & alii, quos vide apud *Buxtorff. Diſſert. ad Aur. Bull. cap. V. Concluſ. 78.*

VII. Summum autem iſtud honoris argumentum, quod per Auream Bullam Sereniſſimo Palatino Comiti Electori, ſoli quidem (Electorem enim Saxoniæ deficiente Palatino, Imperatoris Judicem eſſe, negat Limnæus ad *A. B. C. V. obſerv. XIV. & J. P. P. I. L. III. cap. 9. num. 23. & Freherus Orig. Palat. cap. 16. p. 139. in fin.*) expreſsè collatum intelleximus, à veteri Comitiva Palatina deſcendere, Freherus & cum illo Doctorum non pauci ſtatuunt.

Apud Carolingos namque olim iſtud uſu receptum erat, ut Palatii Præfectus, qui & Major Domus vocabatur, in Aula Regia & Prætorio, ampliſſimam cognitionem non tantùm in omnes Miniſtros Aulicos, nullo planè exempto, haberet, atque jurisdictionem exerceret, verùm quoque Regem vel Cæſarem, ſi ab alio ſe conveniri pateretur, judicandi facultate gauderet. Quod ſucceſſu temporis eò usque devenit, ut, quamvis Imperium ad Germanos translatum fuerit, nihilominus Palatino Comiti, tanquam Imperialis Palatii Judici & Præfecto, cauſas ſuas dirimendas atque decidendas commiſerint Imperatores: hujuscemodi poſtea conſuetudini hac Caroli IV. conſtitutione ſingulare robur atque obligandi vis acceſſit. vid. *Freher. ad Petr. de Andlo. L. 2. c. 10.* Neque tamen hæc M. Freheri & aliorum ſententia obſtat, quo minus illud Palatini Comitis jus cum A. B. à conſuetudine derivari poſſit; neque hac ſtante hypotheſi conſuetudinis initium, quod ut plurimum ignoratur, indagari poteſt. Enimvero, nihilominus iſthoc in latebris agere, exinde patet, quoniam haud probari poteſt, quo temporis tractu, quisque Francorum Regum primùm ejusmodi conſuetudinis initium expediverit. Præterea nec Doctores iſti ſtatuunt, Palatii Regii Comiti vi Jurisdictionis ſuæ, quam alioquin in Palatio exercebat, neceſſariò competiiſſe facultatem, Jus ipſi Regi dicendi, ſed virtute conſuetudinis factum, ut ſubmiſſione libera, Rex in ſuis litibus ipſi cognitionem commiſerit. *Thulemarius de Octoviratu C. XVIII. th. 22. 23. Limnæus ad A. B. C. V. obſerv. XII. p. 294. pr.* Ita apud alias moratiores quoque gentes dignitas Palatina eodem Privilegio ornata fuit. De Anglis namque (referente Frehero) Paris graviſſimus eorundem Hiſtoricus memoriæ prodidit, in deſcriptione ſolennium rituum, quibus Henrici III. nuptiæ celebrabantur, Comitem Ceſtriæ ſtricto S. Eduardi gladio Regiam Majeſtatem præceſſiſſe, in ſignum Comitis Palatini muneris, cujus intuitu Regem, ſi oberret, cohibere integrum ipſi atque permiſſum ſit. Et apud Hungaros obtinet famoſiſſima de officio Palatini conſtitutio, quæ An. MCCCCLXII. Matthiæ Regis & Procerum autoritate prodiit, qua præter alias maximas prærogativas Palatino Regni ſumma poſt Regem Jurisdictio defertur, eousque, ut ſi fortè inter Regem & Ordines mutua

tua orirentur diſſidia, proprium ipſi ac perpetuum ſit, inter partes litigantes mediatoris tueri munia, eoque ſedulo niti, ut quàm maturiſſimè lites componi, ac placidè ſine inteſtinis turbis ſopiri queant.

VIII. Non deſunt autem, qui eximiam hanc Palatini Comitis prærogativam minus appoſitis explicationibus labefactare, atque expreſſum A. B. ſenſum invertere adnituntur; quos validis retundit rationum machinis *Limnæus Tom. I. J. P. L. 3. c. 9. n. 29. ſeq.* Ea tamen exinde originem quæſtio trahit, quo reſpectu Palatinum Judicem recognoſcat Imperator, an quatenus Imperator ſive Rex Romanorum, (cujus appellatione hoc Aureæ Bullæ loco Rex Romanorum intelligitur, qui vacante Imperii ſede electus, nondum tamen Imperiali diademate (ceu moris olim erat) Romæ à Pontifice M. ornatus eſt) an quatenus Principum aliâ dignitate præditus? Et certiſſima quidem opinio nullis propemodum involuta dubiis, Imperatorem non ut v. g. Archiducem Auſtriæ vel alium Imperii Principem, ſed ut Imperatorem, coram Palatino conveniendum eſſe. In eam enim cogitationem veniſſe D. Cæſarem noſtrum Carolum IV. videtur, aſſerentem quippe, Imperatorem ſ. Regem Romanum coram Palatino habere reſpondere: & clarius idem Germanico A. B. textu innuitur, verbis: *Ein Kayſer als Romiſcher Konig.* Jus Saxonicum Palatinum ſ. Palansgravium Judicem Imperatoris non diſſimili argumento ſtatuit. Speculum autem Suevicum *l. 2. c. 43. §. 6.* jubet: *Wann die Fürſten den Konig vvollen beklagen, das ſollen ſie thun vor den Pfalzgrafen.* Etenim Imperator, ut alius Imperii Princeps conventus, peculiare forum neutiquam ſortitur, ſed coram Auſtregis, vel in Camera, haud ſecus ac reliqui Principes Imperii, reſpondere tenetur, egregio D. Caroli V. exemplo, qui coram Imperiali, quæ tum temporis Auguſtæ Nemedum erat, Camera, in Jus ut Auſtriæ Archidux vocatus, mandâſſe ſibi ipſi legitur, eum in modum: *Wir Carl &c. Romiſcher Kayſer entbieten dir Carl Erz Hertzogen von Oſterreich, referente Buxtorff. Diſſert. ad A. B. C. V. Concluſ. 64. lit. b. in fin. vid. Limn. J. P. Tom. I. L. 5. c. 9. n. 39.*

IX. Cauſas quod attinet, quarum ratione coram Palatino Comite Imperator conveniri poteſt, quoniam in *A. B.* ſpeciatim nullæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

nullæ exprimuntur, altius paulò repetendum eſt, num in hac latiſſimâ verborum conceptione ad unam omnes, aut quædam certæ tantum comprehendantur cauſæ? Arduam eam multisque difficultatibus implicitam quæſtionem Autores deprehendunt, ſtudiaque in diverſa abeunt. Namque aliis arridet, omnes nullo diſcrimine habito, civiles pariter ac criminales denique & feudales huc trahere cauſas. Alii è contra ſatius futurum exiſtimant, civiles tantum & pecuniarias in hunc retuliſſe cenſum. Utraque opinio ſuis non eget rationibus. Priorem ſententiam propugnandam ſuſcipit *Sinoldus diſp. de Vicar. Imper. Concluſ. 8. & vol. 1. Diſſ. J. P. diſp. 7. lit. p. 452.* ſtatuens, ob latiſſimam dictæ conſtitutionis verborum conceptionem, in omnibus cauſis Palatini prævalere Judicium, quod Imperator expreſſis hisce verbis innuat: *ſuper cauſis. pro quibus impetitus*, i. e. conventus *fuerit*, & in Germanico textu: *Von Sachen vvegen, darumb er angemuthet vvird.* DN. *Vitria Inſtit. J. P. Tit. 12. §. 17. p. 294.* Sententiæ poſterioris aſſeclæ generale iſthoc enunciatum cum grano ſalis accipiendum, atq; ad cauſas modò pecuniarias & civiles trahendum eſſe exiſtimant. *Vultejus in l. 1. n. 7. C. ubi Senat. vel Clariſſ. Thulem. de Octovir. cap. XVIII. n. 29.* pro ſuis partibus allegantes textum *Speculi Suevici c. 23. apud Goldaſt. Tom. 1. der Reichs-Satzungen p. 37. ibi: Dem König mag niemand an den Leib geſprechen, in vvordt das Reich ehe urtheilt mit der Fürſten Urtheil. Uber des Königs Leib und über ſein Ehr mag niemand Urtheil geſprechen, vvann die Fürſten*, & porrò: *und kriegt Er mit iemand umb Guth, oder umb andere Ding, das des Reiches iſt, do ſollen über ſprechen die Fürſten und Grafen, die Freyen und des Reichs Dienſtmann.* Hinc Doctores in eam adducuntur ſententiam, Criminalium pariter ac Feudalium cognitionem non ad Palatinum Comitem pertinere ſolùm, ſed & reliquorum Sacri Rom. Imp. Electorum & Principum s. Curiæ Parium judicium requiri: Et ut ſpeciatim jam de criminali Jurisdictione diſſeramus, magnum ecce! allegatum cernimus Autorum numerum apud *Knipſchild. de Juribus & Privil. Civ. Imper. L. 2. c. 33. n. 102. p. 620.* prorſus in unam eandemque opinionem concedentium, Jurisdictionem videlicet criminalem in Imperatorem exercendam, Palatino neutiquam adſcribi poſſe, cui modò allegatus quoque Knipſchild. ſubſcribit. Diverſa iterum ab hac quorundã opinio eſt, quæ Palatini Judicium

quoad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

quoad criminialia, ad depoſitionem & mortis uſque ſupplicium extendit, *vid. Limn. J. P. Tom. I. L. 3. c. 9. n. 48.* Imò *Gloſſator Juris Saxonici ad fin. art. 8. l. 1. Weichbild.* ſtatuere non erubeſcit, Imperatorem ob cauſas tres ibi notatas à Palatino judicatum, inclinata ad clypei marginem cervice, ſecuri aurea ab eodem feralem excipere ictum. Quo uno, quid delirius febriens ullus ſomniaverit? Eo nomine, *Frehero* teſte, Auctor idem *Friſchlino* aliiſque emunctæ naris viris ludibrium debuit. Cæterum, minorem eſſe modò vocati in teſtimonium Suevici (ut vocant) Speculi autoritatem, & ſuſpectam fidem, ut tribuamus ipſi, Imperatorem in criminalibus, Judiciis vel ullius Principum Imperii ſubjectum eſſe: cum præſumi vix liceat, Principem voluiſſe ſeſe coërcitioni ſubditorum & cenſuræ eorundem ſubjicere, ſtatuit ſæpius citatus Conſultiſſ. *D. Vitriar. in Inſt. J. P. p. m. 395.* eorumque ſententiam, qui ad cauſas tantùm civiles & pecuniarias Judicium reſtringunt Palatini Comitis, probat quoque Strauchius; intelligi autem tales cupit, quibus ratione communiſſimæ materiæ Princeps, non ſecus ac alius de populo, obligatur, puta ex contractu cum privato, vel Principe ſibi ſubjecto, celebrato.

X. Num autem Palatinus eo caſu, quo Imperatorem ob malè adminiſtratum Imperium removeri poſſe, ſuperius Theſ. V. citati Autores numero non pauci, ſtatuunt, ſolus Judicis munus exequatur; jam modò diſpiciendum eſt. Affirmantium rationes ex parte non diſſimiles ſunt iis, quæ pro criminali in Imperatorem Judicio Palatino vendicando, opponere allaborarunt, quæve præcedente theſi recenſitæ ſunt; quas aliis inſuper additis cumulare magis magiſque ſtudent. Judicium namque Palatini, ajunt, eluſorium reddi, ſi ſententiæ dicendæ Jus in cauſis Imperatoriæ Majeſtatis ipſi maneret integrum, ſublata animadvertendi poteſtate; Quin & ſupra theſi VI. ex Georg. Alt. Chronico allegata verba, Palatinum in caſu quoque depoſitionis Imperatoris fuiſſe Judicem, innuere, & verba *Speculi Suevici L. 1 c. 30.* eandem ſententiam firmare atque corroborare: quoniam ibi Imperator, inſimulatus Imperii corruptione obtenti, coram Palatino querelam inſtituere neceſſe habet. *Buxtorff. Diſſ. ad. A. B. c. V. concluſ. 81. in not.* E contra qui Electorũ partes elegerunt, non ſoli Palatino Comiti, ſed ſimul toti Collegio Electorali Sereniſſimo eam poteſtatem tribuunt. Proinde Arumæus diſtinguere vult,

 inter

inter directionem Judicii, atq; cognitionem & ſententiam ejusdem; Alterum facile, ſtatuit, indulgeri Palatino Comiti poſſe, nempè ut in exauctorationis Judicio, primarii Judicis ſeu Præſidis obeat quidem munia, cognitionem tamen cauſæ & ſententiæ pronunciationem Electorum omnium conſenſu & ſuffragiis inſtituendas pariter atque expediendas eſſe. *Vid. eundem Diſcurſ. ad A.B.3. th 55.* Atque alio haud animo ab Electoribus anno ſupra milleſimum trecenteſimo Rudolphum Palatinum Comitem ad judicium vocatum eſſe, quàm ut Præſidium in Judicio contra Albertum Regem, ob imputata crimina Imperio exuendum, gereret, diſertè tradit *Carpz. de L. Regiâ c. XIV. ſect. VI. n. 25. & Buxtorff. Diſſert. ad A.B.c.V. Concl. 81.* Cæteri, æquitatis rationem poſtulare, ajunt, cum Imperator communi Electorum ſuffragio ad Principale iſtud provehatur faſtigium, ut ex rationibus vel maximi momenti Imperio iterum exuendus, authoritate & conſenſu haud Palatini Comitis ſolius, ſed univerſi Electoralis eminentiſſimi Collegii ſolio imperiali privetur; idq; ex Adolphi Imperatoris, & Wenceslai exauctorationum formulis ſatis elucere ſuperque, quippe ubi haudquaquam ſolus Palatinus Comes, ſed nomine totius Electoralis ordinis, Moguntinus Archi Præſul velut Collegii Decanus, ſententiam pronunciaverit, cujus tenorem vid. *ap. Goldaſt. Tom. I. Conſt. Imp. f. 139. & ſeqq.* In ea altioris indaginis ſunt Moguntini hæc Electoris verba: *Poſt multos, variosque tractatus conſultationesque, tum inter nos ipſos* (puta Collegium Electorale Sereniſſ.) *tum etiam cum aliis Principibus & Optimatibus Sacri Rom. Imperii ſeriò habitas.* Quamvis autem conjecturæ exinde dari locus poſſit, potius vigore hujus ſententiæ, exauctorandi poteſtatem univerſo Imperii Principum Ordini, minus autem ſolis Electoribus Sereniſſimis adjudicandam eſſe, idque eò magis, cum eundem quoq; ſenſum referant, eo temporis tractu quo de remotione Wenceslai agebatur, Electorum S. Imperii noſtri ad Civitatem Spirenſem datæ literæ, quas in promptu habet diligentiſſimus *Lehmannus in Chron. Spirenſi l. 1. c. 72. p. 850. lit. D.* ibi: *Mit Rath anderer Fürſten und Herren zu dem Reich gehörig:* Nihilò ſecius tamen pro Electoribus militantes, reſpondent: Statuum conſilium hoc caſu neceſſitatem haud poſtulaſſe; neque alio fine iſtud ab Electoribus fuiſſe expetitum, quam ut pluribus ſuffulti ſuffragiis, validiores ſeſe redderent, qui Wenceslao vel aſſeclis ejus, ſi ad bellum res deveniret fortè, reſiſtere poſſent. Quod aſſertum ſatis cla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

clarum facere ipſam depoſitionis formulam, ibi etenim in hæc e-rumpit verba Moguntinus Archi-Epiſcopus: *Nos Johannes Archi-Epiſcopus nomine prædictorum Dn. Electorum & noſtro*, atq; iterum paucis interjectis, eadem verba repetit. *Cuſpinianus* itaque, examinata hac Principum Electorum ſententia, ipſis exauctorandi poteſtatem tribuit in vitis Imperatorum Adolphi & Wenceslai. Namque eorum eſſe deſtitutionem, qui electionis olim auctores extitere, tradit *Carpzov. Tract. ad L. Reg. c. XIV. ſect. VI. n. 26. arg. l. 35. ff. de R. J.* & rejiciendam omninò Baldi JCti *in l. Barbarius ff. de offic. Præt.* opinionem, aſſerentis quippe, nudam eligendi, nullo autem prorſus modo removendi poteſtatem, in Imperatorem exercendam, Electoribus ſalvam atque conceſſam eſſe, ſentit *Limn. J. P. P. 1. L. 2. c. 11.* ubi addit: probè Juris ſui memorem Electorem Moguntinum contra Henricum IV. Imperatorem ſtatuiſſe, inquiens: *cum meritum eum inveſtiverimus, cur non immeritum deveſtiremus.* Recedunt ab hac opinione, qui jus deponendi Imperatorem univerſo Imperii Principum & Statuum Ordini adſcribunt, quod facit *Stamlerus in tract. de reſervat. Imper. § 17. n. 11. ſeqq. & Buxtorff. diſſert. ad A. B. c. V. Concluſ. XI.* Neq; amplius iſthoc in dubitationis aleam vocari poſſe, tradit *Stamlerus*, ex quo *Pac. Osnabrug. artic. 8. §. gaudeant*, cautum, ut inprimis Comitiis de perpetua Capitulationis formula ſancienda, æquè reliqui Principes ac Electores conſuli deberent: Proinde credibile eſſe, etiam de violatione ejus Electores haud ſolos eſſe cognituros, ſed ſi tale quid occurrat, univerſo Statuum Imperii Ordini, illius judicium iri reſervatum. Verba dicto Inſtrumenti Pacis loco, ſequentis ſunt tenoris: *In proximis Comitiis de certâ conſtantiq; Cæſareâ capitulatione ex communi Statuum conſenſu agatur & ſtatuatur.* Quæ verba aliis circumſcribendo, num genuinum ſenſum expreſſerit Stamlerus, dubitare videtur, Lectorisve accuratiori committit disquiſitioni *Limnæus Tom. V. J. P. in Append. ad L. 2. J. P. c. 11. n. 17. p. 116.* Deniq; Canoniſtæ removendi ab Imperio ſummi Principis facultatem Pontifici Romano falſò quidem tribuunt, quorum rationes præcipuæ theſi IV. in medium productæ ſunt. Fuſius hanc materiam apud *Arniſæum de Jure Majeſt. L. 2. c. 6. n. 5. & 6. p. 272. & ſeqq.* tractatam vide ſis, ac de *ſubjectione & exemtione Clericorum c. 5. p. 72. ſeqq.* ubi de Jure Romani Præſulis in Regna & Principatus idem copioſè agit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

XI. Et quid tandem in cauſis Feudalibus ſtatuendum erit? Anne earum intuitu Palatinum Judicem fortè admittit Imperator? Aut iſtas aliorum cognitioni exemptas ſibi ipſi reſervavit? Vel, ſi mavis, Curiæ Paribus ejus rei copiam fortè fecit Cæſar? Ecce! tres circa unam eandemque quæſtionem ſententias, diverſimode ab Autoribus ſuis ventilatas. Specioſa equidem ſunt, quæ in favorem Comitis Palatini adducuntur: Generale enim & ſimplex A.B. effatum nullam planè inter allodiales cauſas & feudales differentiam innuens, conjecturæ anſam præbere videtur, Imperatorem certè eo haud fuiſſe animo, ut in allodialibus duntaxat, minus in feudalibus cauſis, Palatinum Electorem voluerit admittere Judicem: Quin imo, cum ad ea potius jus adaptari fas ſit, quæ facilè atque ἐπὶ τὸ πλεῖστον *ut plurimum* occurrere, non autem quæ perrarò vel ἐκ παραλόγου *exopinato* evenire ſolent, per *l. 3. 4. 5. 6. ff. de LL. Nov. 94. c. 2.* Non autem facile obvium deprehendamus, ut de allodialibus meris, ſed ut plurimum de feudis Imperii inter Imperatorem & Status controverſia oriatur: Credibile eſt, de his potius quàm de iſtis textum hunc accipiendum eſſe. Ita quoque veriſimile eſt, prætuliſſe Imperatorem, uni ſeſe potius Comiti Palatino, quàm Curiæ Paribus omnibus ſubjicere; idque vel exinde liquet, quoniam Imperator nulla ratione Sereniſſimi Saxoniæ Electoris (utpote Vicarii munia inſtar Palatini, ſede Imperii vacante, obeuntis) habita, ſoli Palatino Comiti cognitionem atque deciſionem cauſarum ſuarum impoſuit, vi ſæpius citati *§. ult. A. B. c. V.* Quod fortè haud alia ratione ita diſpoſitum, quam ut ea judicandi poteſtas tantò magis coarctaretur. Cæterum iſtam A. B. Conſtitutionem unanimi conſenſu & approbatione Electorum omnium Principumque & reliquorum Statuum, coram quibus alioquin ceu Paribus Curiæ, controverſia ejuſmodi ſopienda fuiſſet, confectam eſſe, liquet; qui, cum ſimpliciter in hanc Conſtitutionem conſenſerint, neque feudales cauſas eximi curaverint, quod interpoſita contradictione obtentu facillimum fuiſſet, & has includere Palatinive cognitioni ſubmittere voluiſſe cenſentur. Hiſce rationibus opinionem ſuam ſuſtinere conatur *Sixtin. de Regal. L. 1. c. 8. n. 53.* Diverſam ab ea amplectuntur ſententiam Doctorum alii apud *Knichen. de Jure Territor. c. 6. n. 3. ſeqq.* inter quos *Ægid. Boſſ. in Var. Tract. tit. de Foro compet. n. 170* Imperatori ipſi Judicis

provin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

provinciam in feudalibus cauſis tribuere non dubitat, ſuffultus præcipuè hiſce fundamentis : Quod in generali loquendi formula ſemper excipi neceſſe ſit perſonam diſſerentis, *arg. l. 10. ff. comm. Præd.* Quamobrem, licet D. Imperator Fridericus *tit. 55. L. 2. Feud. §. penult.* generali verborum conceptione ſanciverit, litem inter Seniorem & Vaſallos de Feudo ortam, per Curiæ Pares dirimendam eſſe : exinde tamen haud inferendum, voluiſſe Imperatorem ejuſcemodi conſtitutioni proprio motu ſeſe ſubjicere. Adeoq; in rem hanc optimè facere, tradit *Boſſ. c. novit. 13. § non enim interdicimus ext. de Judic.* ibi verba : *cujus cognitio ad ipſum Regem ſpectat.* Ita ſentit quoque *Obrecht. diſp. Feud. th 70. & alii apud Buxtorff. Diſſert. ad A. B. C. 5. Concluſ. 81. lit. A.* Tertia denique opinio pro Curiæ Paribus militans, hiſce præcipuis ſuſtinetur fulcris: adeſſe videlicet, perhibent ejuſdem Autores, generalem Juris feudalis deciſionem modò allegatam *tit. 55. L. 2. F. §. penult.* Deinde Divi Friderici Conſtitutione *tit. de Pac. Conſtant. §. ſententiæ quoque, verſic. & ſi qua controverſia,* in feudalibus litibus Parium Curiæ Judicio Imperatorem ſubjici; atque eam ſpecialem diſpoſitionem eſſe, cui nihil Caroli IV. Conſtitutione generali præjudicii afferri poſſit; quoniam manifeſti Juris ſit, per generalem legem derogari nunquam legi ſpeciali, neque extendendam generalem diſpoſitionem ad ea, de quibus facta ſpecialis proviſio: *Schrad. tractat. de Feud. P. 10. ſect. 5. n. 42.* porrò Speculi Suevici textum (quem ſuprà ad th. IX. retulimus) omni ex parte huic ſententiæ reſpondere, quoniam vel iſto loco Imperii Ordinibus ceu Curiæ Paribus, Judicium in feudalibus committitur; accedere & eam rationem non levis ſanè momenti, quod ſpeciali privilegio cauſæ feudales Seniori cum Vaſallo intercedentes munitæ, alium nullum niſi Pares Curiæ judicem recognoſcant: proinde nullo prorſus modo, intuitu Caroli IV, Conſtitutionis inferri poſſe, hoc ipſarum privilegium eſſe ſublatum. Hanc inter cæteros tuentur ſententiam *Theod. Reinking. de Reg. Secul. & Eccleſiaſt. L. 1. Claſſ. 4. cap. 5. n. 2 & ſeqq.* quem omninò videſis, *Schrad. d. l. Limnæus Tom. 1. J. P. L. III. c. 9. n. 51.* ubi contrariis *Sixtini & Boſſii* argumentis operoſe reſpondet, & huic quidem in ſpecie reponit, in generali ſermone omni haud caſu, ſed tunc demum, quando rei natura, de qua oratio eſt, repugnat, perſonam loquentis eximendã eſſe; Juris a. Canonici iſtud capitulũ quodammodò obſcuritate laborare;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

neque circumſtantias ſcitu omninò neceſſarias, controverſiæ illius inter Reges Galliæ & Angliæ agitatæ, adductas eſſe: cæterum diſſimili argumento iſtud Iuris Canonici eſſe exemplum, ex eo quoque apparere, quoniam Jure communi Judicium de feudo Gallorum Principi proprium ibi dicitur, cum hoc noſtro caſu Jure civili aliud ſit diſpoſitum. Poſtea ad Sixtini argumenta reſponſurus, ſtatuit, quamvis inficias ire nemo quidem poſſit, de iis leges potiſſimum condendas eſſe, quæ ſæpenumero in humanis occurrunt commerciis: *d. leg.* Verum enim verò, quò minus & de illis, quæ adeò familiaria non ſunt, jura ferri integrum ſit, rationem prohibitoriam ſupereſſe nullam, *arg. l.4. ff. de hæred. petit.* Quin potius, ut in rarò emergentibus quoque caſibus, cognitam habeat, quam ſequatur Judex, normam, neceſſitatem poſtulare maximè, ne ea, quæ extra ordinem incidere ſoleant, planè negligantur: Enimverò vel hodienum perrarò evenire, Imperatorem in litem vocare ut quis ſuſcipiat: Nihilo ſecius tamen in omnem eventum ea de re legem in Aurea Bulla expreſſam latam eſſe. Denique, addit, præſentiam Procerum & Curiæ Imperialis Parium non inducere, Juri ſuo quod haut ritè invigilaverint, l. Palatino quoad hoc in feudalibus Judicium aliquid indulſerint, ipſi Principes: partem, quod ſilentium, dum cognoſcere licuit ſartum atq; tectum permanere jus noſtrum, præjudicio non aperiat viam, per textum *in l.8. §.15. ff. quib. mod. pign. l. hypothec. ſolv.* partem, quod Carolo Imperatori Conſtitutionem iſtam laturo, adſtiterint Ordines, conſiliumve cum ipſo ineuntes, eandẽ ſententiam ad unum omnes amplexi fuerint.

XII. Actum hactenus de pluribus cauſis, quarum reſpectu Palatini Judicium ſubeat Imperator: reſidet adhuc Appellationis negotium. Ubi ſententia Cæſaris gravatum ſe animadvertit quispiam, anne licet ad Palatinum Comitem provocationem inſtituere? Affirmativam ſuſcipiendam eſſe, omninò perſuaſus eſt Auctor libelli inſcripti: *Bedencken, ob die Churfürſtliche Pfalz in Cauſis gravatoriis des Kayſers Richter ſeyn könne. apud Londorp. Tom. 1. Actor. Publ. L.3. p. 78.* ad generalem Aureæ Bullæ formulam ſupra toties repetitam, provocans. Deinde pro ſtabilienda ſententia rem exemplo illuſtraturus, refert, Fridericum Burggravium Noribergenſem à ſententia Caroli IV. Imperatoris ad Rupertum Palatinum provocâſſe, huncque, ſuſcepta appellatione, ſententiam ab Imperatore latam,

tam, prout ſibi viſum fuit, emendâſſe. Accedit & alia ex Speculo Suevico deſumta dubitandi ratio, ubi *L. 2. c. 43. §. 6.* autor in hæc planè verba ediſſerit: *Wann die Fürſten den König vvollen beklagen, ſo er ihnen vvider Recht thut, das ſollen ſie thun vor dem Pfalzgrafen.* Eam verò prorſus rejiciunt ſententiam DD. alii, validiſſimo hocce argumento ſuffulti, ne generalis Caroli IV. verborum conceptio abſurdè in alium ſenſum detorqueatur, & principia omninò invertantur, quibus à ſummo Principe *l. 1. ff. à quib. appell. non licet.* vel à ſuperiore ad inferiorem provocare, hæreſis eſt. *l. 1. §. 3. & tot. tit. ff. de appellat.* Diverſum longè ex textu ipſo colligi debere, ibique de cauſis querelæ ſimplicis tantum agi, ipſa verba accuratiori judicio inveſtigantibus, non obſcurè patebit. *Buxtorff. ad A. B. C. V. Concl. 81. in not. Sinoldus Vol. 1. de ſtatu rei Rom. Diſp. 7. th. 21. lit. e. p. 453.*

XIII. Poſtremo, ſi Palatinus Comes in Jus vocare Imperatorem neceſſe habeat, anne Cæſar ipſe vel Palatinus Elector Judicis Provinciam occupat? Utrique denegat eandem Fridericus *Lentius in Them. Synopt. theſ. 11. p. 335.* Sereniſſimo autem Saxoniæ Electori eo fortè caſu poſſe tribui Judicium, inde colligere ſatagit, quoniam ſolenni quoque Imperatoris novi Coronationis actu, Colonienſis per Moguntinum Archi Epiſcopum, & in reviſionis petitione, hujus partes vel Trevirenſem, præſente impedimento, ſuppleri receptum ſit. Legibus autem Imperii cum de eo nihil ſit diſpoſitum, arbitros hoc in paſſu eligendos eſſe, quod remedium, ex communi Doctorum ſuffragio, omnibus ſuperiorem non recognoſcentibus, honeſtum eſſe dicitur, quisquis ſtatuere malit, vel ideo cenſoria virgula notandum haud eſſe, idem *d. loco* ſtatuit.

XIV. Abſolutis itaq; cauſis omnibus, quarum intuitu rei vices Imperator ſuſtinens, Palatini Judicium recognoſcere haud dedignatur; videndum jam & paulò altius inquirendum, anne & idem actoris munia obiturus, coram Palatino Comite alios in jus vocare neceſſum quoq; habeat? Et pro Palatino Comite pronunciandum eſſe videtur; nam cum idem reo Imperatori jus dicendi poteſtatem nactus ſit, cur alios litibus petiturus Cæſar, coram Palatino querelam inſinuare ſuperſedeat? *arg. l. 125. ff. de R. J. l. 38. ff. de re jud.* Neque actori ut integrum ſit, quod reo alioquin denegatum fuerat, ex æquo eſſe dicitur. *l. 41. ff. R. J.* Quin potius Imperatoris eſſe ſtatuendum, reum non ſecus ac Fiſcus facit, ad ſuum

Judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Judicem traheret. *t. C. ubi Cauſ. fiſc. l. 1. 2. C. ſi adverſ. fiſc.* Nihilo tamen ſecius negativam hoc caſu præferendam eſſe, DD. autumant: quoniam Aureæ Bullæ de Imperatore convento, hoc loco ſermo eſt, non de eo, qui alios compellare in animum induxit: neque in cauſis recenſendis alias profert, niſi: *Pro quibus impetitus fuerit.* Proinde hanc Conſtitutionem utpote Communis Juris correctoriam, & contra ejuſdem rationem adhibitam (prout ſupra dictum) ultra ſuos tramites extendere, ejuſve argumento alios huc quoq; trahere caſus, omnino prohibitum DD. putant per *l. 14 ff. de Leg.* Atque adeò pro ratione diverſarum cauſarum obvenientium aliud atq; aliud adeundum erit forum. Et quidem; ſi fiſcalis cauſa ſit, expediti Juris eſt, ad Camerale Imperatoris Judicium eam eſſe referendam, vi *ordinat. Cameral. part. 2. tit. 20.* ubi dilucidis cautum eſt verbis: *Das alle und iede fiſcaliſche Sachen an den Kayſerlichen Cammer-Gericht gerechtfertiget werden ſolten.* Sic feudalium controverſiarum enucleationem Curiæ Paribus ſubjectam eſſe, fuſius ſupra retuli; atque iſthoc de Feudi Domino, ſive actoris ſive rei obeat munia, percipiendum eſſe, liquidò conſtat. Etenim, Imperator, aliis Feuda collaturus, ſeſe liberè Jurisdictioni Parium ſubmittit: quippe qui ejuſcemodi exercitio, authoritati feudalium conſuetudinum (quæ Paribus in utrumq; & Seniorem & Vaſallum Juriſdictionem indulgere ſolent) conformem reddere voluiſſe ſeſe præſumitur. In Civilibus, quæ reſtant, cauſis, aut ſtatum adverſus mediatum Imperii intentatur actio, aut immediatus ea pulſandus venit. Priori caſu, licet non pauci in ea hæreant opinione, concurrentem habere Imperatorem cum quovis ex Ordine Procerum Imperii Juriſdictionem, ceu tradit *Alb. Brun. Conſ. 44. n. 4.* & alii, atque indultum ipſi eſſe, ſubditos Imperii Procerum ex territoriis eorundem ad ſe evocare per *l. 58. ff. d. Judic.* Verùm enim verò, longe aliter noſtro ſeculo in Imperio comparatum eſſe, & ſubditos Ordinum Judiciis ordinariis relinquendos, neque ad extraneum tribunal vocandos eſſe, docet quoad Electorum ſubditos *Aurea Bulla c. 8. & c. 11.* Dein omnium Ordinum Imperii ſubditorum conjunctim mentio fit in *Ordinat. Cameral. de A. 1495. & reformatione ejuſdem Wormat p. 2. t. 1. 5. & 8. rubr. Die unterthanen in ihren ordentlichen gerichten bleiben zu laſſen.* Quamobrem Divi Imperatores Carolus V. & Rudolphus II. tenore Capitulationum ad idem ſeſe obſtrinxêre, ne-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

que in Imperio quempiam ab ordinario Judice avocaturos ſeſe, publicè fidem dedere. Quorum Capit. lege ſis *apud Goldaſt. Tom. 1. Conſtit. Imperial. P. 3 fol 1. art 15 & apud eundem in Polit. Imper. P. 12. de leg. Reg. Imper. Germ. fol. 609.* Atque iſthoc invaluiſſe jam & uſu comprobatum eſſe, binis Glorioſiſſimi Rudolphi II. Cæſaris exemplis teſtatur *Buxtorff. d. Diſſert. ad A. B. concluſ. 83. in not. ad lit. E.* referens: Imperatorem ſubditos quorundam Imperii Procerum ad ſe evocare volentem, haud obtinere potuiſſe, ut ab ordinariis Judicibus venia comparendi ob eam rationem citatis indulgeretur. Poſteriori caſu, ubi ex Auguſtiſſimo Statuum immediatorum Ordine quidam ab Imperatore compellandus eſt, etſi in Capitulationibus diſpoſitum, ut omnia ſecundum præſcriptam Juris regulam ex juſto & æquo inſtituerentur, (*Zur verbör und gebührlichen Rechten ſtellen und kommen zu laſſen.*) Cum tamen neque de modo illo legitimo, neve de perſona, cui hæc cognitio propria ſit, quidquam expreſſum ſit; Haud abſonum quibuſdam videtur, cauſam litigioſam hoc in paſſu ad Comitia Ordinum omnium retuliſſe; prout multa Imperatorum exempla in promptu ſunt, qui alios in jus vocare geſtientes, ad Comitia Imperialia convolarunt, ibique juſtitiam ſibi adminiſtrari deſiderârunt, vide ea apud *Buxtorff. d. l.* Quoniam tamen hujus negotii fundamentum neq; ex Capitulationibus, neq; aliunde deduci poſſe, certum eſt, non immeritò, hanc opinionem in dubitationis revocare aleam, ſatius alii duxerunt, diverſamque amplectentes, tradiderunt: ſiquidem ex Rudolphi II. Capitulatione patet, in legitimo Judicio, coram ordinario Judice, ubi alioquin ſui copiam facere Princeps Imperii obligatur, quemvis ex Sereniſſimo hoc Ordine vel ab Imperatore compellatum, ad rationem reddendam obſtringi: Quo pacto, immediati Status Imperii cum habeant competentem Judicem Cameram Imperialem, tenore *Ord. Cameral. part. 2. tit. 27.* atque actoris alioquin ſit, forum rei ſequi *l. 2. C. de Juriſd. omn. Judic.* à veritate neutiquam alienum eſſe videri. Imperatores Sacratiſſimos Carolum V. & Rudolphum II. in Capitulationibus ſuis, Statuum intuitu vel Cameræ vel Auſtregarum Judicium ſubintelligere voluiſſe, ex quo polliciti ſunt, ſeſe Electores, Principes, Comites, Barones, Nobiles alioſve Imperii Status, prout Ordinationes & Imperiales Conſtitutiones poſtulant, ab ordinariis Judiciis haud avocaturos, licet vel ipſi (Imperatores) vel alii actiones

moturi eſſent, *vid. Rumel. Diſſert. V. ad A. B. n.* 11. 12. *ſeqq. Sinold. vol.* 1. *de Statu Rei Rom. Diſp.* 7. *th.* 21. *lit. H. p.* 455. Idcirco dilucidè patet, auctorum plurimos omnino perſuaſos eſſe, Palatino Comiti in Imperatorem actoris vices ſuſtinentem, nullam judicandi poteſtatem competere. Nihilominus tamen per reconventionem alium ad Palatini tribunal trahere Imperatorem poſſe, per *l.* 14. *(de Sentent. & interloc.* vel ex compromiſſo Judicem Palatinum eligere, ſtatuit *Limnæus ad A. B. d. C. obſ.* 8.

XV. Palatinus Comes ubi iſthoc Judicium (in cujus contemplatione defixi fuimus hactenus) contra Imperatorem inſtituere neceſſe habeat, ex A. B tantum nobis ſuppetit: ibi namque Latini textus hæc verba: *Illud Judicium ipſe Comes non alibi, præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator ſeu Rex Rom. præſens extiterit, poterit exercere.* Germanica autem verſio communiter recepta, vel unico verbo diſcrepans, ſenſum reddit diverſiſſimum; en namque propria verba: *Jedoch ſoll der Pfalzgraff daſſelbige ſonſt nirgends haben noch ſuchen dann an einen Kayſerlichen Hoff, oder wo der Kayſer oder Römiſche König, gegenvvärtig iſt.* Antea ſiquidem ad Rheni fluminis ripam, teſte *Frehero ad Petr. de Andlo L.* 2. *c.* 10. *in fin.* ſeu in Comitiis Regni, ut *Conringio* placet, *de Judiciis Germ th.* 43. *&* 44. actus ejuſmodi ſi fortè recurreret, confici ſolebat. Hoc autem textu locorum alter Imperatoria ſedes denominatur, alter, ubicunque alioquin ſui Imperator copiam facere ſoleat. Deinde in latebris adhuc agit, quid Imperialis Curiæ denominatione intellectum veniat; An Sacrum Imperatoris Palatium? an Comitia Univerſalia? an Electorum conventus denotentur? Non pauci auctorum numero pro Comitiis ſymbolam ſuam ferunt; quoniam familiare admodum Carolo IV. paſſim in A. B. eſt, ſub Curiæ Imperialis nomine Comitia potius Imperii, quàm ſedem Imperatoriam comprehendere; quippe eo ſenſu accipitur, *c.* 4. *§.* 3. *c.* 6. *in pr. c.* 12. *§* 2. *c.* 21. *in pr. c.* 32. *c.* 24. 26. 27. 28. unde vix cenſuram mereri ajunt, ſi dicatur, hoc quoque intellectu in noſtro textu ſumi. Præſertim cum anterioribus quoque temporibus in Comitiis ejuſcemodi controverſias tractare moris fuerit, neq; alibi uberiori cum fructu vel ſucceſſu feliciori quàm in Comitiis peragi poſſit, ſcilicet ubi tot Illuſtres Palatinus habiturus eſſet aſſeſſores, quorum integritas alioquin & fides Imperatori perſpecta, minus dubium redderent Judicium, *vid. Limn. ad A. B. d. c. obſ.* 18.

Cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Cæterùm validis non minus in contrarium pugnant argumentis, qui aulam Principis hoc A. B. loco ſubintellexiſſe, futurum ſatius exiſtimant. Ferunt etenim, hanc conſuetudinem ad Carolingorum (ex multorum ſententia) exemplum introductam eſſe, quibus ſolenne fuit, non alio quàm in Regali Palatio, Comitum Palatinorum Juriſdictioni locum concedere; & cum ejuſmodi de Curia ſermo ibi ſit, ubi Imperatoris arbitrio, velitne præſens an abſens eſſe, planè commiſſum: Imperialibus autem Curiis ſeu Comitiis olim, ſecus quàm hodiè, omnibus præſederint Cæſares, neque per Commiſſarios unquam comparuerint: adeoque Palatii Imperatorii potius quàm Comitiorum illo capite mentionem injici, DD. iſti perſuaſum habent. Neque exinde, quod frequenter ſub univerſalium Conventuum nomine Curiæ vocabulum veniat, in neceſſitatem rapi poterit, reliquis in locis non alio ſenſu formulam iſtam accipiendam eſſe, ut ſilentio jam obliterem, majoris reverentiæ, quo ſummum terrarum Orbis Principem ſuſpicere fas eſt, iſthoc eſſe ſignum illuſtre, *vid. D. Vitriarii Inſt. J. P. p. mihi 283.* Quod reliquum eſt, perperam quidem rentur, ob intermiſſum ultra ſeculi ſpatia exercitium, exoleviſſe iſtud atq; eſſe planè judicium Palatini deſiiſſe: Neque enim Privilegium ob ſolum non uſum in deſuetudinem abire, vel omninò ceſſare ſolet, ubi obvia nulla eſt utendi occaſio. *Enenkel. de Privileg. L. 3. c. 15. n. 31.* Quæ ſi forte occurrerit, probatione opus eſt, an Palatinus contradicendo jus ſuum tueri omiſerit? vel quod contra actum, legitimè conſiſtere potuerit? Sanè D. Fridericum Privilegia Helvetiorum rata habere tergiverſantem, non alia ratione ejuſmodi proceſſiſſe, ferunt, quàm cauſas iſtas, quod vel arbitris requiſitis committendas, vel ab Rhenano Prætorii Præfecto decidendas eſſe, ſtatuerit, prout tradit *Gerardus de Roo L. 5. Hiſtor. Auſtriac. p. 194.*

XVI. Jam ad AUGUSTÆ Imperatoris Sanctiſſimæ tori Sociæ, coram quo conveniri debeat, FORUM, progrediendum eſt. De eo quidem Bulla Aurea altum fovet ſilentium; Ideoque haud intempeſtivè quæſtio proponitur: An & illa Auguſtiſſimi Conjugis forum ſequi & coram Sereniſſimo Palatino comparere neceſſe habeat, prout jubet *l. 9. C. de Incolis?* Atq; iſthoc ideo affirmandum videtur, cùm privilegia eadem tribuant Principes illis quibus & ipſi gaudent, *l. 31. ff. de LL. l. 3. C. de quadrienn. præſcript.* Adeoque procul dubio Sereniſſima Auguſta in hujus privilegii partem cum Auguſto ventura eſt?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

eſt ? Verum cum hæc Conſtitutio plane ſingularis ſit, deinde ex conſuetudine oriunda & contra juris rationem recepta, ultra caſum haud extendenda neque ad conſequentiam trahenda erit. *l. 14. ff. de LL.* quid? quod Imperatoris reſpectu haud forte dici poſſit Privilegium. Itaque Sereniſſima Auguſta ab alio lite pulſanda, coram Imperatore utpote ſupremo in Imperio Judice, citari debet; ſingulare namque illud apud Cæſarem eſt, quod uxori & liberis (prout DD. apud *Menoch. Conſil. 2. n. 22.* ſtatuunt) jus dicere poſſit *arg. l. 4 ibi: ex noſtra juſſione C. de quadr. præſcript.* Alioquin iſthoc aliis Judicibus interdictum legimus, *l. 10. ff. de Juriſd.* Hanc quidem ſententiam oppugnare ſtudet *Limnæus ad A. B. C. V. Obſ. IV.* textum iſtum *l. 4* eo de caſu ſaltem accipiens, quo ipſa litem intentare ſuſcipit Celſiſſima Auguſta, ſecus, quando ab alio actione petitur: Quod ſi autem Imperatori in animo ſit, ei litem denunciare, vi poteſtatis ſuæ judices ordinare, illiſque Judicium delegare poſſe, idem tradit. Exempla quod attinet, diverſis temporibus Judicia contra Auguſtas ab Imperatoribus fuiſſe inſtituta, hiſtoriæ ſuperioris ævi memorant. Ita namque Otto III. Cæſar, Mariam Conjugem, ob Mutinenſem Comitem, ſtupri ab ea falſo inſimulatum, atque ideò à nimis credulo Imperatore innocenter ad ſupplicium raptum, cum veritas longo interjecto tempore innoteſceret, judicio habito, igne concremari juſſit. Sic Henricus VI. in Conſtantiæ ſuæ adulterium, & Sigismundus in barbaros ſuæ Barbaræ mores ſeverius inquiſiviſſe, accepimus. Sed quodnam forum ſortiatur Auguſta, poſt fata conjugis viduam quæ vivit vitam, meritò diſquiritur? Putant quidam, Imperatoris defuncti in Imperiali culmine Succeſſoris Juriſdictioni eam ſubjacere, *vid. Lentium in Them. Synopt. th. XIII p. 336.* In Galliis Reginam in Senatu Regni, quem Parlamentum vocant, alios per Procuratorem reos facere, in judicium autem ſi ipſa vocata fuerit, per Procuratorem reſpondere, tradit *Limn. not. Regn. Franc. l. 2. c. 19. Lit. E. p. 891.* Quæ de Auguſtæ foro fuſius jamjam dicta ſunt, quo minus ad LIBEROS SERENISSIMOS Auguſti invictiſſimi applicari poſſint, nulla impedit diverſitatis ratio: eoſque ſi domicilium à Parente diverſum inſtituant, vel Provinciis ſuis præeſſe incipiant, non ſecus ac alios Imperii Principes in Judiciis ordinariis conveniri, in propatulo eſt.

XVII. ROMANORUM REGIS FORUM expoſiturus,

duplici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

duplici ſignificatione iſtam Regis Romanorum appellationem apud Publici Juris ſcriptores venire, præmonendum cenſui. Alio enim intellectu in Aurea Bulla dicitur Rex Rom., qui fatis conceſſo Imperatore, vel alia ratione ſua dignitate privato, eligitur, in Imperatorem, acceptis Romæ Imperialibus Infulis, promovendus. *Limn. ad Cap. Maximil. II. art. XVIII. p. 496.* Alio iterum ſenſu hodiernum recepto, Rex Rom. ſumitur pro S. Imperii Principe, qui vivo Imperatore rerumque potiente, eo vel conſentiente vel invito, ab Electoribus eligitur, ut ſit perpetuus Imperii Vicarius, & Imperatore eſſe deſinente, citra aliam electionem, ad Imperiale ſolium evehatur. Prioris Judicem haud alium quam Imperatoris, Palatinum ſcilicet Comitem nominat *Aurea Bulla. Cap. V. §. fin.* Poſterioris autem quiſnam ſit, paucis hic dicendum eſt. Quidam in eâ hærent ſententiâ, capitulum iſthoc A. B 5. de eo quoque debere intelligi, in hanc adducti ſententiam, vel eo fundamento, quoniam inter Imperatorem & Regem Rom. ſi actus ſecundi ſuſpenſionem & deliteſcentiam (ceu loqui amant) excipias, nulla propemodum reperiatur differentia, cum enim ipſi haud ſecus ac Imperatori competat Majeſtas, cujus intuitu, Cæſare abſente vel impedito, non ejus ſed ſuo nomine Imperii gubernaculis præeſt; cur itaque diverſus ab Imperatoris Judice, Rom. Regi attribuendus ſit, haud rationem firmam adeſſe, tradit *Schuz. de ſtatu Rei Rom. Exerc. VII. th. 21. junct. Exerc. 5. th. 345. Nolden de Nobilitate c. 2. n. 44.* Neque differentiam alicujus momenti obſtare, idem monet, quò minus vocabulum Regis Rom. d. c. 5. A. B. etiam de Rege extraordinariè electo accipiatur. Econtra magis arridet aliis, Regem Roman. hoc caſu Imperatoris tribunali ſubjectum ſtatuere, quod rationi magis conveniat, cum ipſe Imperatorem Dominum ſuum ſalutare non averſetur, quod Carolo V. imperante probè obſervavit D. Ferdinandus I. *Rec. Imp. de A. 1555. in fin §. ſolches alles, & Receſſ. Imp. de A. 1559. §. als ſich dann &c.* ubi idem D. Carolo V. quamvis tum defuncto, Domini ſui titulum addit. Cæterum, Conſtitutionem iſtam A. B. (ceu ſupra aliquoties dictum) ad conſequentiam trahendam haud eſſe, cum ſingularis ſit, *l. 14. ff. de LL.* jubet. Vid. hujus ſententiæ aſſertores *Limn. & Buxtorff. ad A. B. d. c.*

XVIII. VICARII Imperii diverſimodè dividi ſolent. Alii dicuntur totius ſacri Imperii, ut Rex Romanorum; Alii Perpetui, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Duces Mediolanenſes, Sabaudiæ, Mantuæ, Montis-Ferrati, Mutinæ; alii Temporarii. Alii Vicarii Imperii in Germania, ut Sereniſſimi Electores, Bavariæ, vel Palatinus Comes, & Saxoniæ. De Rom. Regis, qui totius Imperii Vicarius ſalutatur, Judice *th. præcedente* dictum. Cæterum Vicarii, qui in Germania ſede Imperiali vacante, ſecundum conceſſam poteſtatem Imperio præſunt, ubi durante Vicariatu conveniri debeant, diſpiciendum. Eoſque duplici reſpectu compellandos eſſe, apparet: alio, ut Vicarios, atque tunc, cum repræſentent Imperatoris Perſonam, neque coram Auſtregis vel Camera Imperiali, ſed coram novo Imperatore, *arg. tit. 5. A. B.* ibi: *quæ tamen per Regem Romanorum*; aut, ſi cauſa moram abſque periculo non ferat, coram Ordinibus Imperii univerſis, tanquam Principalibus ſuis, quorum ſunt mandatarii, & ſubditi conveniendi ſunt. Si autem tanquam Electores vel Principes conveniantur, cauſaque ad Auſtregas ſpectet, non obſtante Vicaria dignitate, coram iiſdem ſecundum *Ord. Cam. p. 2. tit. 3. 4. & 5.* reſpondere debent; exemplo Caroli V. Imperatoris, qui ut Archidux Auſtriæ Marchionem Badenſem ratione *Suſenberg* actione petiturus ipſum requiſivit, ut vigore Ordinationis Cameralis, Imperii quoſdam Principes conſtitueret. Pari ratione, ſi cauſa Camerale Judicium requirat, etiam Vicarios tanquam Electores & Imperii Principes eo in jus vocari poſſunt, quemadmodum Carolum V. Imperatorem ut Archiducem Auſtriæ conventum fuiſſe, ſibiq; ipſi mandaſſe ſupra dictum. *Buxtorff. ad A. B. concluſ. 64.* Sed de Vicariis in Italia, anne eadem, ratione fori, quæ de Germanicis diximus, ſtatuenda erunt? Certè, Sereniſſimorum in Germania Vicariorum Juriſdictioni reliquos omnes tempore interregni ſubjectos eſſe, *Schuzius* aſſerere non dubitat, *de ſtatu Rei Rom. Exerc. V. th. 9.* cui ſuum quoque adjicit calculum *Dieterich in not. ad A. B. p. 38.* cum potius Italici ſubſtituti ſint Vicariis noſtris, atque ob id ordinati, ut eſſent, qui tam latè extenſi generalis Vicariatus onera allevarent. Verùm, cum probatione indigeat, Saxonem & Palatinum Sereniſſ. Electores unquam Vicarios in Italia conſtitutos fuiſſe, illis fruſtra ſubſtitutos aſſignari, antequam de inſtitutione res clara ſit, reſpondet *Limnæus*, aliiſque validis planè argumentis contrariam tuetur ſententiam *in annotat. ad Capit. Caroli V. art. 3. verſ. Pfalz und Sachſen, num. 68. p. 150.*

CAPUT II.
De Foro Electorum & Principum Germaniæ.

I. GErmaniæ populis vel antiquiſſimis temporibus ſuas fuiſſe Reſpubl. (in unam antequam Francorum Imperio coiere Rempubl.) certamque regiminis formam, in dubium vocari haud poteſt: Παvβασιλέιαν autem ipſis nullam, ſed apud plures ex ariſtocratico & populari Statu commixtam fuiſſe Reip. formam, docet *Celeberr. Conring. in Diſp. de Jud. Germ.* Quamvis enim quibuſdam nationis Germanicæ populis Reges præfuerint, non tamen eorum infinita aut libera poteſtas erat, referente *Tacito de mor. Germ. c. 7. vid. & Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 10.* Fuere & inter Germanos eo temporis tractu Principes ſeu Primores ex populo, qui certis regionibus vel pagis præerant, juſtitiamque adminiſtrabant, *v. Cæſar. Comment. L. 6. de Bello Gall.* magnæ apud ſuos auctoritatis, univerſo tamen Concilio gentis minores, quippe cui ſumma rerum erat commiſſa; atque hinc de delictis & controverſiis Principum ſive inter ipſos, ſive cum plebe motis, in Comitiis populi cognoſcebatur & ſtatuebatur. Equidem Sacerdotibus belli tempeſtate permiſſum fuiſſe, qui ſegniter in acie rem geſſiſſent, pro gravitate delicti pœnis afficere, monet *Tacit. l. c.* quorum ſuppliciis vel Primicerios ſubjectos fuiſſe, exemplo Regii Juvenis, ob prælium infeliciter commiſſum, Sacerdoti ad cædem traditi, teſtatur *Meibom. Irmenſ. Sax. c. 4.* Verum enim verò, ſententiæ quidem executionem ipſis competiiſſe, ex hoc exemplo diſcimus; num autem cognoſcendi de delictis poteſtas eis ſimul tributa fuerit, adhuc in latebris agit, quoniam rerum Germanicarum iſtorum cumprimis temporum perexigua nobis ſupereſt cognitio. Cum enim Germani veteres literarum ſecreta ignoraverint; hinc eorum pariter Reſpubl & fortia facta; maximam partem profundis immerſa tenebris, lucem juxta ac notitiam noſtram hactenus fugêre. Proinde ad ſecula ævo noſtro propiora, lubet deſcendere, quæve vaſto illo Francorum Imperio, maximè verò Carolo M. imperante, judicia Principum & Procerum Germaniæ fuerint, conſiderare.

II. Prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

II. Principum autem & Primorum Populi, velut Ducum, Epiſcoporum, & præcipuorum Comitum, majoris momenti, & quæ Rempubl. attinebant, cauſas, in Concilio petractatas fuiſſe, docet Eruditiſſ. *Conring. l.c.* Hinc Brunechildis Regina decreto Concilii capitis damnata eſt; & Taſſilo Bojariæ Dux, multorum criminum inſimulatus, à Concilio judicatus legitur, ex cujus quoque ſententia A. 828. Dux Forojulienſis, ignaviæ convictus, Ducatu pulſus eſt. Hæc de majoribus Principum cauſis. In reliquis minoris momenti controverſiis, Judicio Regis ejuſque Miſſorum locum fuiſſe, Caroli Magni ex apud *Anſegiſum L. 3. c. 77. & L. 4. c. 66.* indicat. Et *Speculi Saxonici Autor L. 1. art. 59. & l. 3. art. 52.* Scultetum (cujus officium poſcebat, abſente Comite judicio præſidere) ſui quoque Comitis fortè accuſati, conſtituit Judicem, haud ſecus ac Palatzgravium (h. e, Palatinum Comitem) Imperatoris, & Burggravium Marchionis, cujus relatio num veritate nitatur, minus exploratum eſt; merito tamen dubium exoriri poteſt, cum autoritas Speculi Saxonici ſubleſtæ alioquin ſit fidei, & multas ineptas ſententias primùmque natas, pro antiquis legibus in Codice illo, Autor obtrudat. Quod Epiſcopos attinet, eorum cauſæ perſonales in Synodo vel apud Metropolitanum agitabantur, quem ſi ſuſpectum habebat Præſul, Primati Diœceſeos vel Romano Pontifici controverſia committebatur. Cauſam autem talem in Synodo jam ventilatam regiâque autoritate deciſam, provocatione ad Pontificem trahere, litigantibus integrum erat.

III. Subſequentibus poſt tempora Francorum ſeculis uſque ad ordinatam Cameram Spirenſem, à priſtino more, quo controverſiæ Laicorum Principum non ſolius Regis, ſed ſimnl Ordinum committebantur judicio, neutiquam fuiſſe receſſum, tranſlato quamvis ad Saxones Imperio, ſæpius citatus Incomparabilis *Conring.* tradit omnium Seculorum teſtimonio ſuffultus: Ita namque frequenti Principum Senatu, Eberhardus magnæ auctoritatis Comes ab Ottone I. damnatus, Conradus Bavariæ Dux ab Henrico III. & Dux Lotharingiæ ab Henrico V. proſcripti, Henricus Leo à Friderico I. Otto Wittelſpachius ab Ottone IV. ſuis terris privati, patriumque vertere ſolum juſſi ſunt. Sic in Ottocari Bohemiæ Regis facinora, Rudolphus I. Imperator juxta ac Collegium Principum inquiſiverunt. Et Cæſar Fridericus IV. in Cauſa inter Ludo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Ludovicum Bavarum ejuſdemque filium litigioſa, collectis antea Electorum & Principum ſuffragiis, litem compoſiturum ſe promiſit. Verùm enimverò, non tantùm in ſupra allegatis criminalibus cauſis, ſed etiam in feudalibus omnibus Pares Curiæ, hoc eſt, Duces & Comites judicio aſſidere ſolitos fuiſſe, docet *Conſtitut. Conrad. Imperat. L. 5. Feud. Longobard.* Quod ad Judicia Epiſcoporum & Metropolitanorum (quippe qui inter Principes Imperii eodem modo, ac reliqui ſeculares Principes referuntur) ratione cauſarum perſonalium attinet, adeò eſt à Carolinorum temporum moribus receſſum, ut prætextu Sardicenſis Canonis, cauſas ejuſmodi tantùm non omnes, ad ſuum forum, excluſis Metropolitanis, Summi traxerint Pontifices. Hujus arrogatæ Juriſdictionis fundamenta poſuit Nicolaus I. Pontifex, cauſas in Synodis vel regiâ autoritate deciſas, ad ſe evocans. Præterea Gregorio VII. autore, Epiſcopi & Archi Epiſcopi Juriſdictioni Reipubl. ſubducti, in unius fermè Pontificis imperium tranſiere. Non tamen ſemper tales Paparum conatus ſuſtinuerunt, ſed cauſas Epiſcoporum judicandas interdum ipſi ſuſceperunt Cæſares, quod Conradi III. & Friderici I. exemplis ad amuſſim probat *Otto Friſingenſ. de rebus Friderici I. L. 1. c. 62. & L. 2. c. 9.* Cognominis autem Fridericus ordine ſecundus, ſua conſtitutione de libertate Clericorum, plurimum favit Pontificum partibus, diverſus planè à Carolo V. qui antiqua Imperatorum Jura felicius defendere cœpit. Proinde Johannem Epiſcopum Hildesheimenſem, fractæ pacis publ. convictum, Ao. 1521. ex Decreto Ordinum Imperii, proſcripſit. Hermannum Colonienſem Archi-Præſulem, circa religionem diverſa novantem, citavit, ne quid ultra machinetur, inhibuit, & dignitatibus ſuis exuit; non expectato quidem Papæ conſenſu, cui tamen poſtmodum cum Imperatore convenit. Quin & Archi-Epiſcopum Trevirenſem & Cardinalem Cleſelium Ferdinandi II Cæſaris juſſu in vincula conjectos fuiſſe, nemini non perſpectum eſt. *vid. Conring. d. l.*

IV. Et hæc fuit olim ratio Judiciorum in cauſis Epiſcoporum perſonalibus. Controverſiæ intuitu Bonorum Epiſcopalium ortæ, Advocatorum Laicorum Juriſdictioni committebantur, & per Appellationem ad regium forum trahebantur: Deinde, Privilegiis ſpecialibus obtentis, Epiſcopi quidam cauſas haſce ab ordi-

nariis Judicibus eximere cœperunt: Pontifices item ſummis contendebant viribus, ut Jus conſtituendi Eccleſiarum Advocatos, Epiſcopis acquirerent ipſis, quos olim ſolus nominabat Rex; ſed irrito primùm ſucceſſu, cum Imperatores gnaviter iſti ſuo juri invigilarent; fidem ejus rei faciunt promulgationes Cæſareæ, quas vide *ap. Goldaſt. Tom. II. Imper. Conſt. p. 86. & 87.* Fridericus autem II. videtur eodem ceſſiſſe, tenore promulgationis ſuæ, quam habet *Golſtaſt. ſtatut. Imper. fol. 73. & 74.* Poſt ejus tempora, ſenſim plerique Epiſcorum, omiſſis advocatis, vi Privilegiorum Imperialium, Judiciis & adminiſtrationi bonorum eccleſiaſticorum præeſſe cœperunt. Hodiè Juriſdictionem in bona Epiſcoporum Feudalia & Regalia, non minus ac animadvertendi poteſtatem in violatores Pac. Publ. Epiſcopos (ſecundum ea, quæ tradit *Gail. L. 1. de pac. Publ. c. 1. n. 13. c. 8. n. 8.*) Imperatorum eſſe, conſtat. *ex Ord. Cam. p. 2. tit. 7.* neque provocatio in ejuſmodi cauſa ad Potificem, ſed ad Cameram permiſſa. Hæc circa Germaniæ Principum fora antiquitus obtinuerunt; jam quæ noſtris temporibus Judiciorum Germaniæ Principum ſit ratio, videamus. Quo autem cuncta magis magiſque in aperto ſint, juſto obſervato ordine, cauſas, pro earundem diverſitate, in quinque Claſſes dividendas, ſtatui; *(1.) de Eccleſiaſticis, (2.) de Matrimonialibus, (3.) de Civilibus, (4.) de Criminalibus, (5.) de Feudalibus,* acturus.

Claſſ. I. De Foro Germaniæ Principum in Cauſis Eccleſiaſticis.

I. Circa ſpirituales vel eccleſiaſticas Principum Germanicor. cauſas aliud apud Romanæ Eccleſiæ addictos, aliud apud Proteſtantes (uti vulgò ſalutantur) uſu venit. De Eccleſiaſticorum Principum Pontificiorum foro in hiſce negotiis, proximè ſupra egimus. Quod ſeculares Principes Rom. Eccleſiæ addictos attinet, cum ex hypotheſi Pontificiorum omnes laici incapaces ſint juris & poteſtatis ſpiritualis, neque ab iſtis vel à miniſtris eorundem exerceri poſſit illa, ſed privative ad forum Eccleſiæ ſpectet: hinc nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

hil de ea Principes ſeculares & eorum miniſtri ſibi vindicare poſſunt, ſed ipſi potius Principes, quocunque etiam dignitatis emineant gradu, hac in parte Romani Pontificis juriſdictioni ſubjacent. *Oliv. de Foro Eccleſ. Part. 1. qu. 2. 7. 8.*

II. Ad Confeſſionis Auguſt. autem Principes & Status, Politica circa ſacra poteſtas per *Pacific. religios. Ao. 1532.* Norimbergæ cœptam, *Ao. 1552.* Paſſavii repetitam, & tandem Ao. 1555. Auguſtæ Vindelicorum unanimi Imperatoris & omnium Ordinum conſenſu ſancitam, tranſlata, & juriſdictio eccleſiaſtica, quæ penes Clerum Rom. Catholicum erat, in Principibus & Statibus Imperii Auguſtanæ Confeſſioni addictis eorumve territoriis, in omnibus negotiis & cauſis Religionem concernentibus, plenè ſuſpenſa eſt. Atque ex eo, Epiſcopale Jus ſive Diæceſanum, una cum eccleſiaſticorum actuum cognitione, penes territorii Dominum reſidet, tanquam fiduciarium poſſeſſorem, uſque ad Chriſtianam compoſitionem, ex formula *Inſtr. Pac. art. 5. §. Jus Diœceſanum. 48.* ibi: *ſuſpenſa eſto.* Deinde ad Reformatos in eod. *Inſtr. Pac. art. 7.* hæc extenſa ſunt, ſicque lis antea inter Pontificios & eoſdem ultrò citroque agitata graviter, feliciter compoſita eſt. Hanc autem libertatem conſcientiarum & Religionis inter ſumma Imperii Principum & Statuum Privilegia, meritò præcipuum locum obtinere, magnificis teſtatur verbis Mauritius Haſſiæ Landgravius, v. Limnæus *Jur. Publ. Tom. I. L. 4. c. 8. n. 206.* Proinde Conſiſtoria & Senatus Eccleſiaſtici à Principibus & Statibus Evangelicis adornantur, qui in cauſis ſpiritualibus & ad Religionem ſpectantibus, tanquam delegati ipſius territorii Domini, cognoſcunt & judicant, eo fine, ut religio fidei pura & integra maneat, divinus cultus retà celebretur, & populus verbo ſalvifico imbuatur, vitæ denique puritas & morum ſanctitas conſervetur. Ejuſmodi concilio præſidet quidam ex Laicorum ordine, cæteris Aſſeſſoribus partim Theologis, partim JCtis: cui etiam Princeps, ſi cauſa ſpiritualis Perſonam ipſius concernens, oriatur, cognitionem ejuſdem committere, & ſententiæ latæ ſeſe ſubjicere, non dubitat. Interdum & peculiare Conſiſtorium, conſenſu partis adverſæ interveniente, conſtituit, coram quo lis ſuſcepta agitatur. Neque tamen inferre licet, Conſiſtoria iſta à Statibus conſtituta, adeoque inferiora conſtituentibus, non poſſe in eos juriſdi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

riſdictionem exercere : Quoniam ſpontè, nullove neceſſitatis vinculo cogente, coram Judiciis iſtis ſeſe ſiſtunt, cauſaſque ſuas exponunt Principes. *v. Blum. Proceſſ. Cam. tit. 43. n. 15. 16. Reinking. de Reg. ſec. & Eccleſ. L. III. cl. 1. c. x. n. 50. 51.*

III. Sed anne in ejuſmodi lite decidendâ ad Auſtregas ſit confugiendum, ſi ea inter perſonas ſit, quæ Privilegio Auſtregarum gaudent, hinc diſquirere operæ pretium videtur. Pro affirmativâ multi ſtant Viri Eruditiſſ. *Vultejus* in cauſa illuſtri quâdam, præjudicio iſthoc comprobat, à quo non diſſentit *Mindanus de Proceſſ. c. 10. n. 4.* Idem ſtatuit *Zieglerus in comm. concl. §. Auſtregæ. concluſ. 2. n. 1*; hiſce utens potiſſimum argumentis: Quoniam in *ord. Cam. p. 2. tit. 4* hoc privilegium primæ inſtantiæ Principibus & Statibus immediatis, in genere in quibuſvis cauſis, nullo prorſus habito diſcrimine, conceditur; adeoque generalem diſpoſitionem generali quoque intellectu de omnibus cauſis aſſumendam eſſe, ſtatuit, per *L. 1. §. cum urbem ff. de off. Præf. Urb. L. Julianus ff. de Leg. 3.* & quidem iſtud eo magis hoc caſu, verba enim *Ord. Cam.* d. l. ibi: *Warumb oder vvas urſachen das vväre*, ſingularem quandam generalitatis emphaſin ſpirare, quippe geminata, quæ ſimplicibus ſolent eſſe nunquam non fortiora, *L. 22. C. ad SCt. Vellej.* & animum omninò deliberatum & deſtinatum declarant, *L. 4. ff. de Fidejuſſ. Tut*: Quin & in ipſo textu *Ord. Cam. P. 2. tit. 2. in pr.* manifeſtè quoque cauſarum ſpiritualium injici mentionem, verbis: *mit Rechtfertigung Chur-Fürſten, Fürſten oder Fürſtmäſſigen, Geiſtlicher oder weltlicher, umb ſpruch und forderung, die Ihrer einer zum andern hätte oder gevvinne, ſoll es &c.* Hæc quorundam Doctorum ſententia ab aliis oppugnatur, rationibus non minus plauſibilibus: Etenim, cum in Ord. Cam. & paſſim à JCtis Judices Auſtregarum generales Commiſſarii Cæſarei dicantur, ad cognitionem & deciſionem illarum cauſarum, quæ alioquin ad Imperatoriam Majeſtatem & ad Camerale Judicium pertinebant, ab ipſo Cæſare conſtituti: Haud tamen ſpirituales cauſas ipſis commiſſas fuiſſe, ex eo apparet, quoniam (ceu Romanæ Eccleſiæ addicti in ea hærent opinione) Imperatoris veluti ſecularis Principis Jurisdictio in ſpiritualibus non eſt fundata, neque eam, eo, quo Privilegium Auſtregarum Principibus conferebatur, neque hoc temporis tractu, de facto Imperator uſurpat. Porrò

rò ajunt, privilegia Auſtregarum in effectu nihil aliud eſſe, quàm exceptiones à Juriſdictione Cameræ, in prima inſtantiâ alioquin in inperſonas Imperio immediatè ſubjectas, competente; verùm ipſam Cameræ Juriſdictionem in ſpiritualibus non eſſe fundatam, ideò nec ſpirituales cauſas inter eas eſſe referendas, quæ à Cameræ Juriſdictione excipiantur; cum exceptio neceſſariò eſſe debeat non modò de regula, ſed & de contentis ſub regula. Proinde, quæ in contrarium adducta ſunt ex Ord. Cam. argumenta, non validè ſtringere, aſſerunt, cum & geminatus & generalis ſermo ſecundum efferentis voluntatem, & præſuppoſitam poteſtatem ſit accipiendus; eo tamen animo Imperatorem non fuiſſe, ut ſtatibus in genere in quibuſvis cauſis privilegium Auſtregarum concedere voluerit, ex ſupra dictis patere: Poſtremò, alterum *ex Ordinatione Camerali p. 2. tit. 2.* textum, utpote de perſonis tam ſecularibus quàm eccleſiaſticis accipiendum, neutiquam in contrarium militare, verbaque *Umb Spruch und Forderung* terminis habilibus adaptanda, nec ultra extendenda eſſe. *Reinking de Reg. ſec. & eccl. L. 1 1 1. cl. 1. L. x. n. 42. ſeq.* Neque hoc prætermittendum, jam ab origine Auſtregarum, cognitionem cauſarum ſpiritualium Pontifices ad ſuum forum traxiſſe, locumque adeò Auſtregis haud dediſſe, tradente *Dn. Textor. Diſp. I. ad R. J. de A. 1654. θ 75. & Diſp. III. θ. 76.* Conſule de hac Controv. *Limn. J. P. P. 1. L. IX. c. 5. n. 76.*

IV. Imperiale autem Cameræ Judicium, an pari ratione ac Auſtregæ à cognitione cauſarum ſpiritualium arceatur, vel, an & quatenus iſthoc ſupremum tribunal controverſias ejuſmodi recipiat, videamus. Itaque de ſpiritualibus & Eccleſiaſticis cauſis, ſi lis orta ſit, v. g. ubi de jure Patronatus, advocatiæ &c. controvertitur, quamvis talis in ſecularem cauſam inciderit, earum tamen cognitionem non Cameræ Judicium, ſed eccleſiaſticus Judex ſibi vindicat. Nam licet Camera Imperialis ſimul ex Eccleſiaſticorum Imperii Principum, qui de cauſis ſpiritualibus & eccleſiaſticis cognoſcendi alioquin Jus habent, conventione ſit conſtituta: Electores tamen & Principes Imperii Eccleſiaſtici Juriſdictionem hanc non ab Imperio, ſed à Pontifice recognoſcunt, & ita eam Cameræ (prout tamen ſtatuit *Vultejus ad l. 1. n. 49. in fin. C. ubi Senat. vel Clariſſ.*) ſine conſenſu ejuſdem communicare

nicare non potuerunt, neque eo reſpectu, ſed ut Principes Imperii, reſpectu ſecularis poteſtatis, Cameræ Judicium una cum reliquis Princip. conſtituerunt: quoad Principes autem Confeſſionis Auguſtanæ, cum jurisdictio Cleri Romano-Catholici in eos ſuſpenſa planè ſit, non potuit de ea aliquid ad Cameræ Judicium derivari, *v. Reinking. L. III. cl. 1. c. 10. n. 35. ſeqq.* Ita quoque *Receſſ. Imp. Noviſſ. de An. 1654. §. als ſich dann 164.* differentia Jurisdictionis eccleſiaſticæ & ſecularis, reſpectu Cameræ ſeſe prodit, quando caſſatio evocationum ad nuntios Pontificis, ad cauſas ſolum profanas reſtricta legitur, ergò in eccleſiaſticis cauſis nulla Cameræ Juriſdictio; quin & exemplo comprobatum eſſe, in cauſa *Schmidbersg* contra monaſterium S. Catharinæ Trevitis, in puncto decimarum, ubi, implorato Cameræ Imper. auxilio, denegati ſunt Proceſſus caſſatorii, refert *Dn. Textor, ad R. J. Noviſſ. Diſp. II. ϑ. 55.* Addit tamen ſcitat. loc. ex alleg. *Receſſ. Imp. Noviſſ. §. als ſich denn*, ſtringens argumentum deſumi non poſſe, in cauſis ſpiritualibus ligatas eſſe Cameralis Judicii manus, neque appellationem ad iſtud interpoſitam, nullam fore, ibi conceptis ſtatui verbis, quin potius contrarium aſſerentes, obfirmare textum *R. J. noviſs. §. nach Berahtſchlagung 124.* ubi diſpoſitum ſpeciali cura legimus, de reviſionibus cauſarum ſpiritualium vel religionis in Camera inſtituendis, quibus ibidem in ſpecie effectus ſuſpenſivus datur; atque hinc dicendum eſſe, cauſas etiam ſpirituales, quatenus in Camera in reviſorio pendere poſſunt, etiam in Camerali judicio ventilari poſſe, *arg. ord. Cam. P. 2. T. 27. & R. J. de An. 1654. §. In fällen.* Verùm enimverò, hanc dubitationem confeſtim ſolvit, *quamvis enim*, inquit, *de jure ſcripto ea, quæ hactenus tradidimus, non omninò improbabilia ſint; aliud tamen ſtylus recipit, cauſæq; ſpirituales ſolùm in poſſeſſorio in Camera admittuntur; quo ſenſu verba dicti §. nach Berahtſchlagung accipienda ſunt.* In hanc ſententiam, præter ſupra memoratos, & plures alii concedunt, firmiterque perſuaſum habent, cauſas iſtas eccleſiaſticas, quæ de poſſeſſione vel quaſi agunt, in Camera ventilari poſſe; quoniam poſſeſſorium Judicium neque ſubſtantiam neque qualitatem rei ſpiritualis afficit, quod fuſius deducit *Jacob. Blum. de Proc. Camer. Tit. XLIII. n. 20.* Contrarium autem obtinet in petitorio, *Gail. L. 1. Obſ. 28. n. 4.* neque etiam cauſas eccleſiaſticas in mero poſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ſeſſorio adipiſcendæ verſantes, ſed tantùm recuperandæ & retinendæ, huc trahi poſſe, tradit *Limn. J. P. T. 1. L. IX. c. 2.* Cæterùm, eſt & alia ex ſpiritualibus controverſiis, quæ Judicium Cameræ neutiquam fugit: ut ſi quæſtio ſuper re ſpirituali conſiſtat in facto, v. g. ſi quæratur: an quis decimas ſolverit nec ne? an quis eas poſſideat vel non poſſideat? &c. eæ enim, cum in mero facto conſiſtant cauſæ, quamvis res ipſa ſit ſpiritualis, non tamen Judicem ſecularem averſantur. Simili ratione, quoad relaxationem juramenti ad agendum, Camera Imperialis pronunciat. *Ord. Cam. P. 2. tit. 24.* Vide *Reinking, de R. S. & E. L. III, cl. 1. c. 10. n. 17. & 62.*

V. Præterea Cameræ Judicium tanquam in cauſa fractæ pacis religionis competens Judex eſt, nullà prorſus cauſæ principalis ad eccleſiaſticum forum remiſſione indulgendâ, ſi Imperii immediatum Principem, Statum, vel etiam Nobilem, alius, æque Imperio immediate ſubjectus, diverſæ tamen religionis, in exercitio divini cultus poſſeſſione vel quaſi, in ordinatione vel reformatione miniſterii, vel alio Jurisdictionis eccleſiaſticæ actu, quocunque tandem modo iſthoc fiat, turbare ſuſceperit. *R. J. de An. 1555. §. Wir befehlen auch. Gail. L. 1. obſ. 7.* Si autem gravans pariter ac gravatus unius ſint religionis, v. g. uterque Auguſtanæ Confeſſionis, proceſſus in Camera non ex præſcripto conſtitutionis Pacis religioſæ decernuntur, ſed fractæ Pacis publicæ in communi forma. Præterea neceſſarium videtur, ut gravans ſit Princeps aut Status Imperii, vel Nobilis immediatus. Si enim ſubditus alterius Principis, ejus incumbet officio, ut vel ſubditum debitis coërceat modis, vel pro eo in Camera agat, teſtante *Schuz. vol. 2. Jur. publ. diſſ. 4. poſit. 17. lit. C.* Quodſi utrumque negligat, ipſi gravato integrum erit, per viam denegatæ Juſtitiæ, Cameram Imperialem adire. An autem gravatus ſtatim in prima inſtantia, irrequiſito medio proximiore Judice, gravantem ſubditum vel ſtatum Imperii mediatum, in Cameræ Imperialis Judicio convenire poſſit, vehementer adhuc diſputatur, vid. rationes negantium apud *Rumel. P. 3. ad A. B. diſſert. VI. Coroll. 6.* Affirmativa majoribus votis in Camera concluſa legitur apud *Schwanem. obſ. Cam. 146. n. 9.* Quod Actoris perſonam attinet, hodiè neceſſum haud eſt, ut immediatè Imperio ſubjectus ſit: nam-

namque & ſuditum à magiſtratu ſuo, religionis gratia inhumanius tractatum, immediate Cameræ auxilium implorare poſſe, tradit *Myler. ab Ehrenbach*, *de Princ. & Stat. Imp. P. II. c. 87. n. 6. 7. 8.* Controverſia autem ejuſmodi occurrente, utrum ejus cognitio etiam ad Imperatorem Judiciumque Aulicum, an verò ad ſolam Cameram Imperialem pertineat, gravis eſt inter DD. diſſenſio, aliis affirmativam, aliis negativam amplectentibus. Priori ſententiæ adhærent, præter alios, *Peter Syring. in Diſp. de Pace relig. ϑ. 54. Lit. B. Dilingenſes Jeſuitæ in compoſit. Pac. in præfat. Lit. OO. ac L. 10. qu. 64.* Poſteriorem è contra propugnandam ſuſcipit Autor *der beſtändigen Information facti & Juris vvider die Donavverthiſche relation p. 3. & multis ſeqq.* quò etiam inclinat *Rumelin. P. 3. ad A.B. diſſert. 6. Coroll. 3.* Rationibus utriuſque partis adductis, in dubio quemlibet hærere poſſe, utri palma debeatur, veritatis præmium, ait *Limn. Jur. P. J. 1. L. 9. c. 7. n. 727.* quò, brevitatis memor, Lectorem Benevolum remitto.

Claſſ. II. De Foro Germaniæ Principum in Cauſis Matrimonialibus.

I. Cauſæ Matrimoniales, quas jam aggredimur, tàm à Romanæ Eccleſiæ quam Auguſtanæ Confeſſioni addictis inter res ſpirituales numerantur; ideoque, ſi inter priores circa Matrimonium quædam exoriatur controverſia, Pontificem vel etiam Epiſcopum loci competentem Judicem eſſe, ſtatuit *Schubartus de Auſtreg. c. 5. n. 64. uſque 107. & Dn. Textor ad R. J. noviſſ. Diſſ. I. ϑ. 74.* Poſterioribus ſc. Proteſtantibus, *Schubartus* Imperatoris conſtituit tribunal, cui velut ſocium conſilii addit Statuum Imperii quoque Judicium *Vultej. ad L. 1. n. 49. in f. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* Cum Schubarto quoque convenit *Duo Textori, l.c.* aſſerenti, Imperatoris judicium hiſce in cauſis pro fundato habendum eſſe: quia Juriſdictio ejus univerſalis, & omnibus in caſibus, ubi non leges aliud diſponunt, vel conſuetudines aut privilegia ſtatuunt liberè exercenda eſt, *l. 9. ff. ad L. Rhod. de Jactu. & trad. DD. 16.* Nihil autem horum à parte Proteſtantium obſtare, quo minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

in eoſdem juriſdictionem eccleſiaſticam exerceat Imperator: Ita & olim cauſas matrimoniales Imperatoris cognitioni ſubjectas fuiſſe, tot leges & reſcripta D. Juſtiniani declarare, *tot titt. ff. & C. de ſponſ. de rit. nupt. de Divort. & repudiis* &c. & licet Pontifices ſequiori ævo, cauſas matrimoniales ad ſuum forum, conniventibus Imperatoribus, traxerint, tamen hanc Juris dicendi poteſtatem à ſe non planè abdicâſſe Cæſares; cumque hæc controverſia non pertineat ad Cameram, velut ab hac litium ſpecie *per memoriale viſit. de An.* 1570. excluſam, teſte præjudicio apud *Gylmann. in verb. matrimonium*, ergò ad Imperatorem velut poſtliminio cognoſcendi de cauſis Statuum Evangelicorum matrimonialibus poteſtatem rediiſſe, dicere non incongruum eſſe; ſalvis tamen particularibus conſuetudinibus Evangelicorum Statuum (quippe in multis Juri Canonico contrariis) quod expreſſe jubet *Inſtr. Pac. art. 8. §. 4. verſ. de cætero. & Ord. aulic. tit. 1. §. Und vveil denn allein. verſ. vvie auch.* Vix autem Cæſarem hiſce in cauſis Judicis obiturum munia, alii persvaſum habent, quoniam ipſe Judex ſecularis & cui tanquam Catholico, matrimonium Sacramentum eſt *c. 8. de Divort.* Licet enim de Jure pariter divino ac humano juriſdictionem utramque teneat, tamen ipſe eccleſiaſtica non utitur atque ea ratione in cauſis matrimonialibus vel Proteſtantium Principum haud facilè cognoſcet, prout jamdum ſupra monuimus, vid. *Reinking. de Reg. ſec. & eccl. L. III. Cl. 1. c. 10.*

II. Quidam Auguſtanæ Confeſſionis Principum controverſias matrimoniales, Auſtregarum Judicio adſcribere ſatius ducunt, quod facit *Zigler. in Comment. Concluſ. §. Auſtregæ, concluſ. 2. & Vultejus ad L. 1. n. 49. in fin. C. ubi Senatores vel Clariſſ.* habetque adverſarium *Reinking. de Reg. S. & E. L. III. Claſſ. I. c. x. n. 42. ſeq.* utriuſque argumenta ſuperiori capite recenſita, jam repetere, ſupervacaneum duco. *Ummius Diſp. 4. ad Proceſſ. Judic. direct.* Θ. 10. *n.* 52. hoc controverſiarum genus ad Auſtregas quoque refert, quoniam illis etiam poteſtas ſit, de criminalibus cognoſcendi, quæ matrimonialibus æquiparantur. Malunt viciſſim alii, Principes & Status immediatos A. C. coram ſuis Conſiliariis extra Auſtregarum ordinationem convenien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

dos eſſe; cum in eccleſiaſticis & ſpiritualibus, propter ſuſpenſam Jurisdictionem Pontificiam, ſuperiorem non recognoſcant, *Reinking. d. l. n. 50. Myler. de ſtat. Imp. P. 1. c. 20. n. 19.* Verum Conſiliariis iſtis adjungendos eſſe Theologos, cum inter ſpirituales res matrimoniales quoque referantur, recte monet Limnæus *Tom. I. J. P. L. IV. c. 8. n. 94.*

III. Cæterum, ſunt etiam, quibus arridet, controverſias matrimoniales Principum Pontificiorum pariter ac Proteſtantium Cameræ Imperialis judicio adſcripſiſſe, vel eo fundamento, cum iſthoc judicium eccleſiaſticis juxta ac ſecularibus Imperii Principibus & Statibus originem debeat, atque adeò ab iis ſimul jurisdictionem acceptam ferat, qui de cauſis matrimonialibus cognoſcendi jus habent, quod Eccleſiaſtici Electores ſunt & Principes. Sed huic objectioni *Claſſe præced.* reſponſio adjecta, neque ea majoris evitandæ prolixitatis gratia, hic denuò repetenda eſt. Verior certè eorum videtur opinio, qui, ſi de ipſa matrimonii ſubſtantia agatur, vel de jure & viribus ejus quæratur, Cameræ Judicio cognitionem denegandam eſſe, è contra, ſi quæſtio matrimonialis in mero facto conſiſtens, incidat, v. g. ſi Cajus neget, Semproniam ſuam uxorem eſſe; ubi quæſtio vertitur, quatenus matrimonium contractum ſit; vel, ſi verba aut actus tales intervenerint, ex quibus matrimonium contractum fuiſſe, arguendum ſit, nec ne; Cameræ Jurisdictionem fundatam eſſe, docent. Ceterum ex capite nullitatis in cauſis matrimonialibus à Camera proceſſus, puta citationem, compulſoriales & inhibitiones, quotidiè decerni, notum eſt. Quoad poſſeſſorium autem, cæteris paribus, fundatam eſſe in hiſce cauſis Cameræ Jurisdictionem, affirmat *Dn. Textor Diſſ. II. ad R. J. Nov. §. 53.* ſtatuens, *memorial. viſit. de A. 1570*, ad caſum petitorii potius quàm poſſeſſorii, ubi v. g. ſuper viribus matrimonii quæſtio movetur, reſtringendum eſſe. Haud tamen inficiatur, de Jure Canonico etiam in poſſeſſorio cauſas ſpirituales ad forum eccleſiaſticum pertinere, *arg. c. 3. x. de reſt. ſpol.* Quod ſi autem in Camera quæſtio præjudicialis intuitu ſubſtantialium matrimonii occurrit, eam, ſuſpenſa cauſa principali, ad competentem Judicem eccleſiaſticum tranſmitti, teſtatur *Blum. Proceſſ. Cam. tit. 43. n. 18.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

IV. Poſtremò, huic materiæ adjicimus quæſtionem unicam: An Princeps Imperii ad Conjugium, cum extera familia Regia ſive alia conſpicuæ dignitatis & poteſtatis, celebrandum, Imperatoris conſenſum neceſſarium habeat? Quam eleganter, adductis in utramque partem egregiis argumentis juxta ac exemplis negativè decidit *Myler. ab Ehrenbach in Gamol. Perſ. Imp. Ill. c. 3. ϑ. 6. & 7.* Cum Imperii Principum matrimonia ſint liberrima, neque conſtitutiones Imperii libertatem iſtam ullo modo reſtringant, modò ne in perniciem & detrimentum totius Reip. tale conjugium contractum ſit.

Claſſ. III. De Foro Germaniæ Principum in Cauſis Civilibus.

I. AD Civilis Fori Sereniſſimorum Electorum & Principum Germaniæ explicationem acceſſurus, quò cuncta Lector faciliori ratione ingenio aſſequi poſſit, tribus quæſtionibus rem omnem complecti viſum eſt, quarum *prima*: Ubi, & quo procedendi modo Electores & Principes, Eccleſiaſtici pariter ac Seculares, alios Electores vel Principes litibus petere, neceſſum habeant? *Secunda*: Ubi, & quâ ratione Electores & Principes, Prælatis, Comitibus, Nobilibus & Civitatibus immediatè juxta Imperio ſubjectis, ac Principis alicujus ſubditis, litem intentare debeant? *Tertia*: Ubi & quomodo Prælati, Comites, Nobiles & Civitates s. mediatè s. immediatè Imperii ſubditi, Electores & Principes convenire obligentur? Jam ad primæ quæſtionis explanationem.

II. Olim magno illo, poſt Friderici II. Imperatoris exceſſum, interregno, cum Germania inteſtinis bellis, depopulationibus ac devaſtationibus tantum non ad internecionem totalem raperetur, neque juſtitiæ ulla adminiſtratio eſſet, bonis legibus quaſi in exilium miſſis, cauſæque Principum, remotis actionibus judicialibus, ſtricto ventilarentur gladio, ex Principum ordine ali-

qui, exitiale iſthoc malum ſalubribus remediis mederi cupientes, quo abſque cæde & ſanguine controverſiæ Principum impoſterum deciderentur, de arbitrariis ſ. compromiſſariis judiciis ordinandis inter ſeſe convenerunt, quæ à Germanico AUSTRAGEN, Auſtregæ dictæ ſunt. Interjecto deinde tempore, à Maximiliano I. Imperatore in ordinatione Camerali Auſtregæ iſtæ confirmatæ & in certam formam redactæ ſunt, eo fine, ut Principes & Status, qui privilegium Auſtregarum habent, non ſecus ac Status mediati jure duarum inſtantiarum gauderent; utque Principes ſuos haberent Judices, quò citius finem ſortirentur negotia, neque Camera multijugis obrueretur controverſiis. *Limn. T. J. P. L. IX. c. 15. n. 72. 73.* Hanc communiter ferunt Auſtregarum originem. Aliis arridet magis prima earundem Maximiliano adſcribere fundamenta, poſita in Comitiis Wormatienſibus, *Ao. 1459..* & novis acceſſionibus à Carolo V. in Comit. Wormat. 1521. aucta, prout ſenſit *Schubart. de Auſtreg. concluſ. 2.* Quidam viciſſim diverſas haſce ſententias conciliare annituntur, facta diſtinctione inter Auſtregas conventionales, *Stamm*- ſeu *gevvillkührte Auſträge*, quæ à familiis certis & univerſitatibus peculiariter conſtitutæ ſunt, quales inter ſe habent Sereniſſimæ Familiæ, Saxonica, Brandenburgica & Haſſiaca, item Saxonica domus & Regnum Bohemiæ, referente *Spreng. J. Publ. L. 2. c. 11.* & legales, quæ ex generali diſpoſitione Imperalium Decretorum dependent. Priores, ajunt, ante D. Maximiliani I. Conſtitutionem in uſu fuiſſe, & Statibus competiiſſe, vix in dubitationis aleam revocari poſſe: Poſteriores autem, videlicet legales, ante Maximil. I. tempora non obtinuiſſe; idque aſſertum tamdiu pro vero habendum eſſe, donec contrarium probatis doceatur monumentis. *Limn. J. P. L. IX. c. 5. n. 12. ſeq.*

III. Itaque, ſi quis ex Electorum vel Principum ordine, alium æquè Electorem vel Principem in litem vocare apud animum conſtituerit, ante omnia ejuſdem Principis, ut adeat Auſtregas, neceſſum eſt, obſervato quidem ordine *in Ordinatione Camerali part. 2. tit. 2.* præſcripto, ſcilicet: Actor per libellum ad notitiam Rei deferri curat, qua actione contra ipſum ſit experturus, admonet ſimul, ut judicio ſe ſubmittat. Ad hoc reus Princeps, quatuor alios primi ordinis viros Principes, atque ad rerum gubernacula

jam-

jamdum admotos, Eccleſiaſticos partem, partem Seculares, diverſarum tamen familiarum, dicere tenetur, (alioquin ab actore Principe coram Camera Imperiali in jus vocabitur) ex quibus unum Actor ad Judicis obeundum munus eligit, nomenque ejus intra quatuor ſeptimanas reo per literas exponit. Quo facto, Judex ab utroque litigantium deſignatus requiritur; qui, ſuſcepto Judicis officio, (quod declinare ei haud integrum eſt) tanquam Commiſſarius Imperatoris, negotii, deſignato certo territorii ſui loco, & ſtatuto die, opera Conſiliariorum ſuorum adjutus, cognitionem ſuſcipit, qua ſedulò habita, ſententiam tandem pronunciat.

IV. Quod cauſas Judicio Auſtregarum ſubjectas attinet, non paucis ea probatur regula, Principem vel Statum, cui hoc Privilegium conceſſum eſt, in omnibus cauſis coram Auſtregarum Judicibus conveniendum eſſe, niſi in quibus eorum Juriſdictio ceſſat, quod quidam probare conantur *ex ipſa Ordinat. Cam. Wormat. de Ao. 1495. tit. Wir Chur-Fürſten, Fürſten* &c. *in princ.* ibi: *Umb Spruch und Forderung, die ihr einer zum andern hätt oder gevvünne,* quam, ajunt, indefinitam æquipollere univerſali, *Limn. J. P. L. IX. c. 2. n. 60. ſeq.* Ita & *in Ord. Camerali P. 2. Tit. 2. §. darauff,* provocatio ad Cameram ab Auſtregarum Judicio conceditur, aſt in iis modò cauſis, quæ per appellationem alioquin ad Cameram trahi poſſunt, exinde probant, Auſtregas etiam in talibus locum reperire cauſis, quæ appellationem ad Cameram non admittunt; iſta ſimul ratio contrariam opinionem eorum, qui eas tantum judicio Auſtregarum ſubjiciunt cauſas, quæ per appellationem ad Cameram deferri poſſunt, tollit ac refutat. Conſule *DN. Vitriarii Inſt. J. P. p. 688.* Cauſarum autem, quæ ab Auſtregis eximuntur, *Fridericus de Proceſs. L. I. c. 20.* novendecim indicat: Limnæus quatuordecim recenſet, inter quas etiam reperiuntur cauſæ feudorum regalium, religionis, pacis publ. profanæ, pignorationis, arreſtarum &c. vid. *Ord. Cam. P. 2. tit. 5. 7. 9. 21. 22. add. Blum. de Proceſſ. Cam. Tit.* XXVII. *n. 163. ſeqq.*

V. Peracta deliberatione, ſententiam à Judice Auſtregarum ferri th. III. dictum eſt, quâ ſi alter litigantium gravatum ſe ſentiat, nec acquieſcere velit, cauſa ab Auſtregis ad Cameræ vel Aulicum Imperatoris Judicium, ob concurrentem Juriſdictionem, per viam appellationis devolvitur, modò ne pars ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

verſa ſpeciali privilegio, quale habet Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Auſtriæ, (quod tamen adhuc in dubio) à Juriſdictione Cameræ eximatur, vel cauſa alioquin per provocationem eò devolvi non poſſit,

VI. Cum duorum ſummorum inImperio Judiciorum nimirum Imperatoris Aulici & Imper. Cameræ mentio hîc facta ſit, ut de Origine eorundem & Conſtitutione, antequam progrediamur ulterius, pauciſſimis diſſeramus, monet operis propoſiti regula. Judicium Aulicum non tantum antiquis temporibus Aulam ſequebatur Imperatoriam, ſed & hodiè ab ea abeſſe prohibetur per *O. Jud. Aul. tit. 1. §. alle dieſe.* Quoad vetuſtatem autem, Camerale Judicium longè ſuperat: neque enim eorum opinio tuenda videtur, qui judicii iſtius initia à Carolo V. & Ferdinando I, arceſſunt. Solenne verò olim fuit, ut propè omnes cauſæ, ante ordinatum Cameræ Judicium, ibi exercerentur: etiam poſt hujus Conſtitutionem, Judicii Aulici Juriſdictio ſalva atque integra ſemper manſit, v. *R. J. de A. 1212. zum dritten.* addatur §. 55. & *56. art. V. Inſtrum. Pac. it §. 41. Capit. Leopold.* Deferuntur eò cauſæ & in prima & ulteriori inſtantia, neque ab eo appellari poteſt. *§. 42. Capit. Leop.* Supremum hujus Judicii Caput eſt Imperator, *Ord. jud. Aul. Tit. 1. in pr.* ſolusque Præſidem & Aſſeſſores conſtituit, qui ex Illuſtribus Perſonis & Doctoribus conſtant; ſimulque Electori Moguntino, velut Archi Cancellario Germaniæ, jurejurando obligantur, cujus eſt, viſitare Judicium, quoties neceſſitas exegerit, per *§. 56. art. 5 Inſtr. Pac.* Tenore hujus art. Aſſeſſorum ex Proteſtantium numero requiruntur, totidem, quàm ex Pontificiorum: Sed Imperator *in Ord. Jud. Aulici de Ao. 1654. §. Wir vvollen,* ſex Aſſeſſores A. C. ſe conſtituturum, promiſit. Cauſæ, quæ in Judicio Camerali ventilari poſſunt, & hujus fori ſunt: & in Cauſis feudorum regalium, Italicis, confirmationibus Privilegiorum & aliis pluribus, Judicium Imperatoris Aulicum tantùm fundatum eſt. Vide de eo prolixè agentem *Dn. Maurit. in diſſert. de Jud. Aul. §. 14.* Differt ab eo Judicium Imperatoris ſecretiſſimum, *Der Kayſerliche geheimbde Raht*; ubi negotia, ad Judicium aulicum ſpectantia, ſe non tractaturum, promiſit Imperator *§. 42. Capitul. Leopold.*

VII. Alterum in Imperio ſupremum Tribunal, eſt Cameræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ræ Judicium, cujus origo communiter Maximiliano I, adſcribitur, nam cum Judicium Aulicum vix par eſſet ſolum tot litibus, quæ indies ibi cumulabantur, eſſetque maximè ſumtuoſum partibus, Aulicum Judicium, quod nunquam certo conſiſtebat loco, ſed Imperatorem undique comitabatur, ſequi, tandem D. Maximilianus I. Ao. 1485. communi Statuum conſenſu, Camerale Judicium ordinavit, ut extremum eſſet Juris aſylum: *Das obriſte und lezte Gericht.* Habuit varias ſedes, tandemque, ut Spiræ perpetuò manſurum eſſet, diſpoſitum *R. J. de Ao.* 1530. §. *darzu meinen und vvollen.* ſed eruta hac funditus urbe poſtremis hiſce Gallorum motibus, Wezlariæ ſedem ſortitum eſt. Jus reddit nomine Imperatoris & Statuum per univerſum Imperium. Perſonæ, Judicium iſthoc conſtituentes, ſunt, Judex, quatuor Præſides, cuncti ex illuſtri Germano ſanguine, duo Pontificii, totidem Auguſt. Confeſſ. addicti, & Aſſeſſores, quorum, vi Concluſi in Diæta Monaſterienſi, quinquaginta eſſe debent, partem Pontificii, partem Proteſtantes, vid. *Blum. ad Proc. Cam. tit.* 4. *n.* 15. Quot eorumdem Status Imperii repræſentent, vide *in Inſtr. P. art.* 5. §. 52. & *R. J. de Ao.* 1654. §. *Demnach in dem Friedenſchlus* 169. Cauſæ, quæ ad Cameram in primâ, quæque in ſecunda inſtantia trahi debeant, videantur latè *apud Blum. d. l.* Cæterùm, in omnibus controverſiis, quæ ibi volvuntur, Privilegia Auſtregarum, exemtionis & de non appellando probè obſervanda ſunt.

VIII. Hæc duo judicia omnes concernunt Imperii cauſas. Sunt verò & alia in Germaniâ adhuc judicia, quæ vel unius, vel plurium Provinciarum cauſas ſaltem reſpiciunt, vid. *Inſtr. Pac. art.* 5. §. 20. *in f. Blum. Proceſſ. Cam. tit.* 45. §. 15. *ſeqq.* Poſterioribus accenſetur Judicium Rothwilenſe, ordinatum à Conrado III. Imp. Ao. 1146. Judex vel Præſes judicii iſtius perpetuus eſt Comes Sulzenſis, qui adjunctos habet tredecim Aſſeſſores. Juriſdictio hujus tribunalis per circulos quoſdam Germaniæ, nimirum Auſtriacum, Suevicum, Franconicum & Rhenanum tantùm ſe extendit. Vide de iis *Maximiliani I.* & *II. confirmationem privilegii Rothvvilenſium.* Habet autem in iſtis circulis judicium Rothwilenſe concurrentem cum Magiſtratibus ordinariis Juriſdictionem, ita, ut ordinarios Magiſtratus prævenire, vel in

ſubſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ſubſidium etiam cumulativè, jurisdictionem exercere poſſit: illis tamen in caſibus tantum, ubi ſpeciali privilegio Magiſtratus ordinarius à jurisdictione Rothwilenſi non eſt exemtus, vel privilegium exemtionis non ritè allegavit, aut juſtitiæ adminiſtrationem vel denegavit planè vel protraxit, *Webn. comment. ad Reform. jud. Rothvv. P. 2. tit. 1. ſ. 71. ſeq.* Appellatur ab hoc judicio ad Cameræ vel Aulicum Imperatoris judicium, *R. J. de an. 1570. §. und nachdem Uns fürkommen. Capit. Leop. art. 18.* Jurisdictionem in omnes perſonas exercere ſolet quæ ſub circulis nominatis comprehenduntur; niſi quidam Status exemtione muniti ſint, ut Electores, *A. B. tit. 11.* & plures alii Imperii Principes, quos recenſet *Maurit. de judic. Rothvv. th. 9.* Ad quas cauſas ſpectet Privilegium exemtionis, vide ap. *Dn. Vitriar. Inſt. J. P. p. m. 720.* Cæterum *in Inſtr. Pac. art 5. §. 20.* conſtitutum, ut de abolendo hoc judicio (cum Status ejuſdem jurisdictioni ſubjecti abrogationem efflagitarent) in proximis Comitiis ageretur. Atque idem an. 1654. in Comitiis, ante electionem Ferdinandi IV. in Regem Rom. propoſitum eſt: quid tunc & in electione Auguſtiſſimi Imperatoris LEOPOLDI, iteratis Statuum precibus, fuerit concluſum, vide *in Capit. Ferdinandi* IV. *art. 15. & Leopold. art. 18.* Sunt & ad hanc Judiciorum claſſem referenda Judicia provincialia Sueviæ, it. Judicium Wingartenſe & alia, hinc inde per Imperium uſitata, de quibus abolendis deliberatio ad proxima Comitia rejecta legitur *in Inſtr. Pac. art. 5. §. 20.*

IX. Sed de his plus ſatis, jam redeundum in viam, à qua in hoc diverticulum prolapſi ſumus. Dictum ſupra *th. 4.* ab Auſtregis ad Cameram vel Judicium Imperatoris Aulicum per Appellationem cauſas devolvi, ob concurrentem horum duorum Judiciorum Jurisdictionem, ſed res non caret dubio: Acriter enim inter Eruditos certatum fuit, an Cauſæ ad Jurisdictionem Cameræ pertinentes, hoc ad eandem pertineant modo, ut neceſſariò ibi ſint ventilandæ, nec coram Imperatore ejuſque Aulico Conſilio, proponi atque ſolvi poſſint? Concurrentiam ſtatuunt *Gail. L. 1. obſ. 121. n. 3. Mynſing. reſp. 24. n. 20. & reſponſ. 94. n. 4.* & alii. Negant eandem, *Schrader. de Feudis Tom. 2. cap. 12. Concl. 1. n. 32.* Author *der beſtändigen Information Facti & Juris, vvider die Donavvertbiſche relation P. 1. p. 3. ſeqq. Limnæus,* recenſitis utriuſq;

partis argumentis, ſententiam ſuam ſuſpendit, perſuaſus, in materiâ hac arduâ judicium citra offenſam Aulici Senatus vix ferri poſſe, adi *eund. P. 1. J. P. L. IX. c. 4.* Plures autem hodiè concurrentem jurisdictionem horum judiciorum ſtatuunt, eòque inclinat *Textor diſſert, 1. ad R. J. ult. §. 55. ſeq.* tribus permotus rationibus: prima eſt ex *Capitulation: Leopoldinæ. art. 41.* in quo Ord. Aulica Ferdinandi III. Cæſaris (quæ *tit 2.* huic Conſilio ampliſſimam tribuit Jurisdictionem, nullaque ratione Jurisdictione Camerali minorem) ad interim & ſub clauſula reſolutiva, comprobata eſt, atque hinc utramque Jurisdictionem meritò dici concurrentem, monet. Altera deſumitur ab uſu noſtræ ætatis, & obſervantiâ extra contradictionem poſitâ, dum Judicium Aulicum Jurisdictionem quotidiè exercet decernendo commiſſiones, mandata, reſcripta Cæſarea, & cujuſcunque generis proceſſus. Tertia eſt ex *Inſtr. Pacis art. 5. §. quoad proceſſum*, depromta, ubi diſpoſitum, ut Ordinatio Cameræ quoad proceſſum per omnia ſervetur quoque in Aula Cæſarea. E. vel maximè etiam puncto decernendorum proceſſuum *Ordinatio Cameral. P. 2. tit. 1. & ſeq.* in Aulico Judicio erit obſervanda; quo autem id fieri poſſit, Senatus Aulicus concurrentem Jurisdictionem habebit.

X. An verò Privilegium Auſtregarum Judicii Imp. Aulici jurisdictionem reſtringat, opportunè hîc quæſtio movetur. Negat hoc *Paurmeiſter, L. 2. de Jurisd. c. 4. n. 139.* ſtatuens, in conceſſione Auſtregarum reſtrictam tantummodò Cameræ, non ſimul Aulici Judicii, Jurisdictionem. Ad quod tamen alii reponunt, eandem militare rationem quoad Aulam Cæſaream, quæ pugnat pro Imperiali Camera, videlicet: ne immediati, quoad inſtantias, deterioris videantur conditionis mediatis *v. Inſtr. Pac. art. 5. §. 20. Blum. de Proceſſ. tit. 27. n. 11. Reinking. de* R. *ſec. & eccleſ. L. 2. Cl. 2. c. 16. n. 10. ſeq. Rumelin. P. 2. ad A. B. diſſ. 1. Coroll. 2.* Quod Rothwilenſe Judicium attinet, in aprico eſt, ab eo ad Cameram Imper. vel Judicium Aulicum provocationem permiſſam eſſe, & cum ibi ceſſet ratio Auſtregarum inductiva, neque judicium iſthoc in Circulis quatuor, ſuæ Jurisdictioni ſubjectis, conſtitutionem de Auſtregis obſervare teneri. *Schubart. de Auſtreg. c. 2. n. 87. ſeqq.*

XI. Controverſia ad Cameræ Imperialis judicium devoluta,

 ſi ibi

ſi ibi denuò ventilata, & ſententia pronunciata ſit, parti ſuccumbenti ulterior non datur appellatio: cum iſthoc ſupremum & ultimum in Imperio ſit tribunal. *R. J. Ao. 1530. §. Dieweil nun.* & ne lites, pluribus appellationibus interpoſitis, immortales fiant. Quodſi autem alter litigantium ſententiâ iſtâ inique gravatum ſe exiſtimet, Reviſionis beneficium adinventum eſt, ab Electore Moguntino, vel ſi is ex numero litigantium ſit, à Trevirenſi petendum, ea ratione, ut per reviſores ſententiam à Camera latam in melius formare & corrigere dignetur. Idem beneficium datur poſtea quoque ei, qui ſententia in Camerâ latâ victor extitit, modò antea à Viſitatoribus ſententiâ Cameræ reformata ſit. *Dn. Vitriar. J. J. P. p. 702.* In Aulico Imper. Judicio, cum nec ibi appellatio locum inveniat, pars de iniquitate ſententiæ querens, loco Reviſionis beneficii, remedio Supplicationis ad Cæſaream Majeſtatem utitur, *Inſtr. Pac. art. 5 §. 20.* vel acta Judicialia, adhibitis viris idoneis, neutrique partium addictis, utriuſque religionis &c. denuò revideri ſolent.

XII. Quid autem, ſi Princeps extraneus, Imperii Principem convenire velit, anne tunc Imperatoris aut Cameræ vel Auſtregarum Judicium obtinebit locum? Putat *Dn. Textor Diſſ. 1. ad R. J. Nov. th. 42*, Cameræ Imperialis Judicium de lite cogniturum, cum Ordinatio Cameralis circa Auſtregas ea fuerit, ut certus ordo inſtantiarum inter Status Imperii tantum introduceretur, quæ Sanctiones non extendendæ eſſent ad caſus nec verbis nec ſenſu legis comprehenſos; eamque ſententiam amplexos eſſe Statuum reſpondentium Legatos in Comitiis *de Ao. 1613.* aſſerentes, extraneum Principem Actorem, Principem Imperii immediatè in Camera convenire debere, idem tradit. E contra pro Auſtregis hoc in caſu ſtabiliendis major Ictorum numerus laborat. Non enim juſtum, ajunt, ut ob extranei Principis controverſiam forma Juriſdictionis mutetur *L. 1. C. ubi in rem act.* neque fas eſſe, ut ejus intuitu, ſtylus ac conſuetudo judicandi invertatur, ſatius eſſe, ut actor forum rei ſequatur. *v. Rumel. P. 2. ad A. B. Diſp. 1. Coroll. 4. & Auth. ibi alleg. Blum. d. l. n. 53.*

XIII. Alia quæſtio hîc locum ſibi quoque vindicat: An Principes Imperii Panagiarii (ut vocantur) non minus gaudeant jure Auſtregarum, quàm Principes reliqui, actu regentes? Et pro

ipſis

ipſis ſtatuendum eſſe videtur, ob generalem planè & indiſtinctam *Ordinationis Cameralis* diſpoſitionem *P. 2 t. 2.* Dein accedit, quod Privilegium iſthoc Auſtregarum, non glebæ ſit pretium ſeu patrimonio inhærens, ſed dignitatis præmium perſonam ſequens, *Mindan. de Proceſſ. Camer. 1. c. 19. n. 23.* atque adeò, quamvis Princeps Imperii certo quodam Principatu careat, nihilominus, vel contra alios acturus, vel ab iis litibus petendus, iſthoc privilegio gaudet, quod & in Domo Saxo-Lauenburgica præjudicio firmatum legimus: & hujuſcemodi privilegium primæ inſtantiæ ad Principes fœminas ſ. uxores ſ. Sorores, & in univerſum ad omnes Liberos Principum, etiam in patria poteſtate conſtitutos, extendi, tradunt Doctores. *Schubart. de Auſtr. c. 3. n. 100. uſque 114. & ſeq. Textor l. c. diſput. III. θ. 44.* An autem Vidua illuſtris Imperio immediatè ſubjecta, æque electionem & variationem fori habeat, quam Vidua civicæ conditionis obtinuit *in L. un. C. quando Imper. inter pupill. & Vid.* ad id, ut cauſas controverſas, omiſſâ primâ inſtantiâ, confeſtim ad ſupremum Imperii Judicium devolvere poſſit, quæritur? *Mylero*, rationibus, in contrarium non obſtantibus, affirmativa arridet, legibus pariter & rationibus, imò & exemplis illuſtrior, additâ tamen limitatione, modo Vidua illuſtris, immediatam ſuperioritatem territorialem & regimen quaſi virile non teneat, hoc enim caſu præteritâ primâ inſtantiâ, ad Cameræ ſ. Aulicum Judicium alium Principem evocare non poteſt. *vid eund. in Gamolog. c. IX. θ V. VI. VII.*

XIV. Jam ad ſecundæ quæſtionis explicationem properandum: ubi videlicet & quomodo Electores & Principes Imperii, Prælatos, Comites, Barones, Nobiles & Civitates, ſive mediatè ſive immediatè Imperio ſubjectos, in jus vocare debeant? In *Ord. Cameral. P. 2. tit. 3.* duas reperimus conſtitutas vias; alteram, ut actor Princeps ab Imperatore *arg. O. C. P. 2. t. 4. §. 9.* Commiſſarium, æquè Principem, neque tamen ſuſpectum, ultrave 12. milliaria à reo non diſſitum, petat, eique cauſam controverſam committat; alteram autem, ut actor reum requirat ad nominandos tres Principes, haud ſubleſtæ fidei, neque ab actore ultra duodecim milliaria remotos, ex quibus actor unum, quem vult, eligit, Princeps autem in Judicem electus, in Curia ſua (quam Cancellariam communiter vocant) in cauſam inquirit, ſententiamve pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

nuntiat, cui ſi alter litigantium ſe ſubjicere nolit, ad Cameram vel Judicium Aulicum (eo, quem ſupra retulimus, modo) provocare ſolet. Civitas vero Imperialis, à Principe lite pulſata, ordinariè in Camera Imperiali vel Judicio Aulico conveniri ſolet, niſi & iſta ſpecialiter gaudeat privilegio Auſtregarum, quæ tunc primùm adeundæ ſunt. Contra mediatos autem Imperii Status, ſi quis ex Imperii Principibus agere conſtituit, aut iſti ſubditi ſunt ſui, vel alterius Status. Priori caſu, ſi ſubditi à Domino conveniantur ut refractarii, vel etiam aliâ de cauſa, ad Cameram ſtatim litem pertrahi poſſe, tradit *Mynſing. L. 5. obſerv.* 1. Quod tamen exceptionem admittit, niſi ſcilicet conſuetudine in provincia iſta receptum, ut Dominus in Curia Provinciali ſubditos ſuos conveniat. *Gail. obſ.* 1. *n.* 8. Quodſi cum alterius immediati Status Imperii ſubdito Principi lis ſit hic coram Magiſtratu ordinario in prima inſtantia convenire ipſum neceſſe habet, per *Ordinat. Cam. P. 2. tit. 1.* Haud tamen ademtâ ad Camerale Judicium provocandi facultate, ſi ſententiâ inferioris magiſtratus Princeps gravatum ſe ſentiat. confer ſupr. *Claſſ. 1. th. 5.*

XV. Denique, quod tertiam ſupra propoſitam quæſtionem attinet, ubi vice verſa Prælati, Comites, Nobiles & Civitates immediatè pariter ac mediatè Imperio ſubditi, Electores & Principes in litem vocare debeant? probè notandum, ſi immediatis Prælatis &c. cum Principe lis ſit, octo vias in *d. Ordinat. Cam. P. 2. l. 4.* præſcribi; quarum unam ſibi eligere poteſt actor, inter eas autem tertiam, quando Princeps reus ad requiſitionem actoris tribus Principibus non ſuſpectis, nomen dare ſolet, ex quibus actor unum Judicem eligit, *d. tit. 4. §. 7.* & quartam, cum actor Commiſſarium, cujus fides non eſt dubia, ab Imperatore expetit. §. 9. uſu maximè obtinere, tradit *DN. Vitriar. p. 687.* Cæteras, brevitatis memor, ſicco pede prætereo, Lectorem Benevolum ad Lectionem ipſius *Ordin. Cameralis* remittens. Neque etiam Civitati Imperiali, quæ cum Principe litem agitat, permiſſum eſt, ejusdem Auſtregas in prima inſtantiâ præterire, ſed ibi omninò, antequam ad ſuperius Judicium devolvitur, controverſia eſt ventilanda, per *Ordinationem Cameralem tit 4. in pr. & §. fin.* ſi autem mediatis Imperii Statibus cum Principe lis ſit, aut ejus ſubditi ſunt, & tunc Auſtregarum Judicium præterire non

poſſunt,

poſſunt, modò conſuetudine vel privilegio in territorio Principis receptum non ſit, ut is à ſubditis coram Conſiliariis, qui eo fine à juramenti nexu (quo Hero ſuo alioquin obſtringuntur) quò juſtæ dijudicationi nihil obſit, diſſolvuntur, conveniatur. Quodſi alium Principem Imperii mediatus Status convenire vult, ratio itidem Auſtregarum Judicii in primâ inſtantia eſt habenda, niſi caſus obveniat, v. g. in mandatis ſine clauſula, & in quibus periculum ſubeſt, qui, non obſtantibus Auſtregarum Privilegiis, confeſtim ad Cameram evocantur. vid. *Dn. Textor. ad R. J. N. Diſſ. 111. θ. 71. Reinking. d. l. c.* XVI. *n. 26.*

Claſſ. IV. De Foro Germaniæ Principum in Cauſis Criminalibus.

I. ANtiquiſſimis temporibus & jam Francorum Imperio, Principum Germaniæ cauſas criminales, quæ pœnam corporis inflictivam, vel honoris afflictivam irrogabant, in Concilio omnium ordinum pertractatas fuiſſe, ſupra Cap. II. *th. 2.* Brunechildis Reginæ, Taſſilonis Bajorum Principis & Ducis Foro-Julienſis exemplis demonſtravi, pluribuſque teſtatum facit Eruditiſſ. *Conring. in Diſp de Jud. Germ. θ. 63.* Poſterioribus ſeculis eundem quoque obſervatum fuiſſe morem, cauſaſque ejuſmodi in Senatu Principum ventilatas fuiſſe, multis teſtimoniis declaratum eſt. Jam quo noſtris temporibus iſthoc cauſarum genus trahendum ſit, diſpiciendum. *Limnæus Jur. Publ. L.* IX. *c. 2. n. 63.* & cum eo Autores, quos allegat, cauſas criminales Principum Imperii, Auſtregarum Judicibus committendas eſſe, ſtatuit, in eam adductus ſententiam: 1. quod nuſpiam ejuſmodi cauſæ ab Auſtregis reperiantur exemptæ. 2. quod comprehendantur in *Ord. Cam. P. 2. t. 2.* ſub verbis, *Spruch und forderung.* 3. quod Auſtregarum Juriſdictio etiam in illis cauſis fundata ſit, à quibus non datur ad Cameram provocatio, *arg. d. t. 2. Ord. Cam. §. darauff.* inter eas autem vel præcipuo loco eſſe cauſas criminales. Majoribus tamen votis negativa defenditur: Quoniam in his cauſis ceſſat ratio Auſtregarum inducti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

va, unâ quippe inſtantiâ cum determinandæ ſint cauſæ criminales, nec appellatio in iis admittatur, *R. J. An.* 1530. *§. Item als izt etliche.* Ita etiam cauſas criminales ſpecialem requirere conceſſionem conſtat ex *L. 7. ff. de off. ejus cui mand. eſt Juriſd.* eam autem Auſtregas non habere, tradit *Rumel. P. 2. diſſ. ad A. B. 1. Cor. V.* ſic & Auſtregarum formam aptam non eſſe contra facinorum reos, putat Reinking. *d. l. L. 2. cl. 2. & 16. n. 24.* Blum. *d. l. tit.* xx. *de Auſtr. n.* 180.

II. Neque ejuſmodi cauſas Cameræ Judicium admittit, quamvis *Mindanus de Proceſſ. c. 9. n. 1. ſeqq.* variis adductis rationibus adſtruere contendat, in ſimplici querela eas ad Judicium Camerale trahi poſſe, quia, inquit, nullibi reperitur prohibitum, in cauſis, ubi Auſtregæ ceſſant, Camerali Judicio locum non eſſe; quin & in *Ord. Cam. P. 2. t. 28.* cauſas iſtas in prima inſtantia à Jurisdictione Cameræ Imp. non excipi, ſed ſolam tantùm appellationem ad iſthoc ſupremum tribunal in ejuſmodi cauſis, ibi prohiberi. Contrarium tamen demonſtrat *Rulandus de Commiſſ. Part. 1. L. 2. c. 3. Reinking. l. c. c.* XIV. *n. 42. Blum. d. l. tit. 43. n. 6. ſeqq.* cum Cameræ merum Imperium lege quadam datum non ſit; neque ſtylus Judicii Cameralis cauſas Criminales ſuum in forum recipiat, neque quoad Proceſſum cauſarum criminalium, in *Ord. Cam.* à Statibus Imperii, aliquid ſit ſancitum. Et hinc cauſæ, quæ pœnam corporis afflictivam irrogant, *Sachen die Leibes-ſtraff auf ihnen tragen*, non minus à Cameræ Judicio ſunt exemtæ. Exceptio tamen eſt in Banno imperiali, quatenus illud pœnam corporis afflictivam continet, quod ad Cameram nihiloſecius ſpectat. *Blum. d. l. tit. 44. n. 6.* neque tamen Banni declarationem eo caſu, inconſulto Imperatore Camera Imperialis promulgare poteſt, *Kaipſchild de Jur. & Privil. Civit. Imper. L. 2. c. 5. n. 154.* neque abſolutionem à Banno in cauſis majoris momenti & delictis atrocioribus Camerale Judicium, irrequiſito Imperatore impertiendi facultatem habet, per *Ord. Cam. P. 2. tit. 18. §. So auch &c.* Novus modus obſervandus in declarando uno vel altero Principe ex communi Principum conſenſu in bannum, proximis Comitiis eſt reſervatus in *Inſtr. Pac. art. 8.* Hîc autem ſilentii velo non eſt obliterandum, in cauſis Criminis læſæ Majeſtatis & Banni

Impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Imperialis, Electorum quoque conſenſum, eorum quidem, qui delicti non ſunt participes, requiri, per *Cap. Leop. art. 28.* (Atque eundem etiam, ſi proſcriptus in ſtatum priſtinum reſtituendus ſit, neceſſarium eſſe, tradit *Schüz. de Statu Rei* Romanæ *diſp. 4. θ. 17. lit. β.*) quem tamen articulum Principes reliqui & Status non omninò approbarunt, teſtibus eorundem ad Capitulationem monitis, quibus efflagitârunt, ut Status in pœnam Banni promeriti non niſi in publicis Comitiis declararentur; quò etiam privatim inclinat *Limnæus ad Capit. Ferdinandi III. art. 30. verb. Des Heyl-Reichs. n. 4.* Cæteræ criminales cauſæ, quæ pœnam pecuniariam l. honoris afflictivam irrogant, neque ſucceſſerunt in locum pœnæ corporalis, Judicium Cameræ haud averſantur: qua ratione etiam huc trahuntur cauſæ fractæ pacis publicæ, veluti, ſi Imperii Princeps alium bello, Imperatore inconſulto, aggrediatur; quo tamen caſu, Judicium Aulicum, Imperatoris loco judicans, non omnino excludi, tradit *Myler. de Princip. & Stat. Imperii. c. 20. n. 23.* quamvis eo caſu occurrente, Judicium Ducale cæteris præferat *Fridberg. ad Burgold. P. 2. diſſ. 20.* Juriſdictionem autem Conſilii Aulici etiam ad proceſſum Banni contra Status eſſe fundatam, docet *Dn. Textor ad R. J. nov. diſp. 1. θ. 73.*

III. Cæterum, an in genere Aulicum Judicium in cauſis Criminalibus Principum & Statuum fundatam Juriſdictionem habeat, nec ne, adhuc hodie in dubitationem vocatur, cum res hæc deciſione nondum ſit declarata. Quidam volunt, Principem Imp. pro diverſitate Criminis commiſſi, aliud quoque atque aliud ſortiri forum. Quodſi enim Princeps vel Status Imperii in territorio alterius delinquat, Dominum iſtius territorii Judicem futurum, quamvis minoris fortè ſit dignitatis delinquente, ſtatuit *Rumelinus ad A. B. p. 2. diſſert. 1. θ. 5.* & cum eo *Myler. in addit. ad eund. locum.* quoniam delictum nullo dignitatis habito reſpectu, tribuit Juriſdictionem in loco delicti. *auth. quâ in provinc. C. ubi de Crimin:* Modò tamen delictum corporalem pœnam non irroget: eo enim caſu ligatas eſſe Principis iſtius territorii manus, & Imperatoris tunc fore munus, cauſam pariter cognoſcere & ſtatuere, modo citatus *Mylerus de Princ. & Stat. Imper. P. I. c. 20. n. 31. ſeqq.* tradit. Quodſi delictum in Principis territorii ipſam perſonam commiſſum ſit, vel Imperii Status in proprio

prio territorio crimen perpetraverit, utroque caſu Imperatorem (*per L. f. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* & *Text. Spec. Suec. ap Goldaſt. von Reichs Sazung. Tom. I. fol. 37.* ibi: *Aber über der Fürſten Leib und über ihr Guth ſoll niemand Richter ſeyn als der König* &c.) aut ejus delegatum, Judicem eſſe, idem ait; nam priori caſu Actoris & Judicis perſonam concurrere, ſi territorii Dominus judicandi munus in ſe ſuſcipere vellet, quod prohibet *L. 16. C. de Judic.* ſi tamen pœna ad Capitale ſupplicium tenderet, vel honorem læderet, ſolum haud poſſe Imperatorem procedere, ſed in Comitiis publicis totum negotium petractandum eſſe, idque auctoritate *des Fürſten Rechts in notis ad Rumel. diſſ. ad A. B. l. c.* monet. Huicque ſententiæ ſubſcribit *Textor*, aſſerens, in cauſis criminalibus Principum, Imperatori & Curiæ Paribus ſimul Judicii curam eſſe commiſſam. vid. *eund. Diſſ. ad R. J. noviſſ. §. 72.* Memoriæ quidem proditum novimus, ſuperiori ſeculo & ſub initium jam currentis Carolum V. Imperatorem, Johannem Fridericum Electorem Saxoniæ, capitis damnâſſe, Ferdinandumque II. Cæſarem, Fridericum Palatinum, Electoratu terriſque ſuis omnibus exuiſſe; ſed cum omnia hæc velut in hoſtes acta ſint, & fortaſſis, ad terrorem ſaltem Johanni Friderico Saxoniæ Electori incutiendum, ejuſmodi ſententia fuerit pronunciata, firmum exinde ad alios caſus argumentum vix deſumendum eſſe, neque quemquam probare poſſe, in vitam Principis propter crimen aliquod commiſſum, extra hoſtilitatis reſpectum, capitalem pœnam intentare Imperatorem poſſe; cum Principum perſonæ, noſtro præſertim ſeculo, ferantur inviolabiles, *DN. Rhetius Jur. Publ. L. IV. tit. XXIII. §. 11.* tradit. Eodem tamen in loco ſubnectit: quamvis nullus Imperii Receſſus de cauſis Statuum Imperii criminalibus cognoſcendi poteſtatem in ſpecie Imperatori tribuat, tamen pro ipſo potius ſolo, quàm quod iſthoc Judicium cum Statibus aliis commune habeat, pronuntiandum eſſe, cum illi ſoli datum ſit de Fortunis Principum judicare, *Ord. Cam. P. 2. tit. 7.* Judicium etenim Principum, *das Fürſten Recht* ex nullâ Lege publicâ probari, neque exempla in hunc finem tutò ſatis produci, argumenta autem, quæ vulgò *ex art. 8. Inſtr. Pac. §. habeantur* & *§. gaudeant*, deſumuntur, parum ſtringere, nam licet *§. illo habeantur*

beantur, diſponatur de certâ ratione in bannum communi Statuum conſilio declarandi, non tamen ideò inferendum eſſe, ac ſi Status Imperii etiam ad ipſam declarationem banni concurrere, vel Judices cum Imperatore in cauſâ criminali Status cujuſdam Imperii eſſe debeant: Proinde ſi aliquis Principum vel Statuum Imperii in crimen incidiſſet, ultra Bannum quidem hodiè propter ſupra allatam rationem contra eum procedi non poſſe, ſolius tamen Imperatoris & Cameræ Imperialis eſſe (quippe quæ ab ipſo poteſtatem eam in legibus publicis nacta eſt) in Bannum declarare, & ejuſmodi proceſſum contra delinquentem inſtituere.

IV. Illuſtri quæſtione adjectâ, materiæ huic finem inponimus; quæritur etenim, An Pater Princeps Imperii filium delinquentem pœnâ aliquâ præſertim corporali afficere, vel etiam ad necem rapere poſſit? Id quod omninò negandum putat *Myler. in Gamolog. c.* XXII. *th.* 5. Nam licet propter delictum aliàs Privilegium dignitatis & fori exemtio amittatur. *l.* 1. *in fin. C. ubi Senat. vel. Clariſſ.* & Pater Princeps Jurisdictionem contra omnes in territorio delinquentes exerceat, cum nemo non in Principatu ejuſdem poteſtatem agnoſcat & revereatur: quamvis etiam Principis Imperii in Liberos ſuos poteſtas longè adhuc exſuperet coërcendi facultatem Parentibus conceſſam in *L.* 3. *C. de patr. poteſt.* & aliis; neque deſint exempla in hiſtoriâ tàm veteri quàm novâ, quæ pro aſſerto confirmando adduci poſſent: Nihilo tamen ſecius, cum Pater & Filius pares ſint dignitate, nec Jurisdictio Principum Filios reſpiciat, utpote exemtos ab eadem, ſed ſubditos, quin & inſitus Parentibus erga Liberos tenerrimus affectus hoc neutiquam permittat, & multa in contrarium adſint clementiæ Parentum in filios egregia ſpecimina: hinc Patrem Imperii Principem in cauſis criminalibus filii ulla Jurisdictione neutiquam gaudere, ſtatuit. Eam autem ſententiam rejiciendam exiſtimat *DN. Vitriar. in Inſtit. Jur. Publ. p.* 459. *in med.* aſſerens: Principes ad ſimilitudinem Majeſtatis in cauſis s. criminalibus s. civilibus Liberorum Jus dicere poſſe *arg. l.* 41. *ff. de hered. inſtit.* ſique Principum liberi (de quo non dubitat) ſtatutis ſoluti ſint, ipſius Principis privilegio acceptum eſſe ferendum, *arg. l.* 31. *ff. de LL.* neque illis alium Judicem ſibi ſumere, niſi ſpeciali Patris conceſſione, licere; Parens enim Juri pro ſe introducto renunciare poteſt, *l. penult. C.*

H *de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

de Pactis: Quod rationes diſſentientium attinet, eas vide refutatas apud *Rund. l. c. p. m. 458.*

Claſſ. V. De Foro Germaniæ Principum in Cauſis Feudalibus.

I. MEntio jam ſupra facta eſt, ſeculis ſuperioribus in Germania uſque ad Maximiliani I. tempora, in feudalibus omnibus Principum cauſis, Cæſaris Judicio etiam Principes ſeu Pares Curiæ aſſediſſe, quod pluribus allatis exemplis, ſufficienter teſtatum facit *DN. Conring.* in ſæpius allegato *de Judiciis Germanicis* tractatu. Etenim, Henricus Leo à Friderico I. de communi Principum conſenſu terris ſuis privatus legitur; quem nec in priſtinum ſtatum ſolus reſtituere poterat Imperator, ſed placitum Curiæ Parium ut accederet, ſimul neceſſum erat, teſte *Arnold. Lubec. L. 2. c. 29.* Ejuſdem Henrici Leonis cum vitrico Bavaro de Ducatu Bavariæ agitatam controverſiam Fridericus Cæſar ex Decreto Principum decidit. *Otto Friſingenſis de rebus geſtis Friderici I. L. 2. c. 10. D. 10.* Rudolphus I. autem in Senatu Imperii Princip. Bavariæ Ducis de recuperandis Auſtriæ Provinciis deſiderium retulit, ſciſcitans, quid circa Provincias iſtas diſpoſituri eſſent Principes. Itaque deliberatione habita, ex Senatus Conſulto & Concilii Decreto in partem earundem filii Imperatoris, in partem Tirolis Comes, vocati ſunt. *Avent. L. 7.* Sic Electorum omnium ſuffragio ac voto, Carolus IV. controverſiam de Electorali dignitate inter Palatinum & Bavarum ſopivit. Hæc majorum noſtrorum ævo uſu invaluêre, quid hodiernis moribus circa feudales Principum Imperii controverſias obtineat, ſummâ brevitate inquiſiviſſe, operæ pretium erit.

II. Cauſas autem Regalium Feudorum, ut ſi de Ducatu, Marchionatu &c. lis ſit, Auſtregarum Judicium recuſare, communis DD. ſententia eſt. Cum enim Auſtregæ ſtricti Juris ſint, non licet eas ad cauſas, quæ pariter de jure feudorum, ac ex conſuetudine totius Germaniæ, certos eoſque ordinarios ſemper habuerunt Judices, in præjudicium feudalis ordinariæ Jurisdictionis extendere. Non diverſa eſt ratio in reliquis feudalibus cauſis, veluti;

veluti: ſi Vaſallus Principem Imperii in cauſa feudali in jus vocare conſtituerit, ubi nullo prorſus modo Judices Auſtregarum competentes eſſe, diſcerte tradit *Gail. L. 1. Obſ. 11. n. 54.* Hæcque de Auſtregis Legalibus pariter ac Conventionalibus accipienda ſunt: Nam licet & hæ generali Imperii & Imperatoris lege confirmatæ ſint, *Ord.Cam.P.2.tit.2.* ſub eâ tamen confirmatione non venire, quæ in ſpecie ſummo Principi reſervata, conceſſioneſq; ſimul ac privilegia ſalvo ſuperioritatis Jure ſemper intelligenda eſſe, tradit *Reinking. d. l. L. 1. cl. 4. c. 19. n. 130.*

III. Ita etiam hæ cauſæ Regalium feudorum totaliter vel adjudicandorum vel abjudicandorum, Jurisdictioni Cameræ repugnant. *per Ord. Cam. p. 2. tit. 7. §. ob auch ſachen &c.* Neque vel per præventionem in Camera Imperiali litis pendentia inducitur, teſte *Myler. de ſtat. Imp. P. 1. c. XX. n. 11.* Sed Imperatorem earundem cognitionem ſuſcepturum, tradit *alleg. text. O. C.* Qui, utrum ſolus, an cum eo ſimul Pares Curiæ de iiſdem cognitionem habeant, infra dicendi occaſio erit. Cæterum, num *d. t. 7.* de poſſeſſorio quoque ſit accipiendus (nam de petitorio nullum prorſus eſt dubium) ita, ut excluſâ Camera, Imperator de hiſce feudis, etiam in poſſeſſorio judicet, in dubitationem venit? *Reinking. de Reg. ſec. & Eccleſ. L. 1. Cl. 4. c. 19. n. 50.* & cum eo plures alii negativam ſententiam amplectuntur, in eam adducti verbis *d. tit. 7. gänzlich und endlich &c.* Quæ de poſſeſſorio negant poſſe accipi, cum poſſeſſorium cauſam non terminet, ſed tantum ſit præparatorium petitorii, *per l. ordinariè C. de R. V.* Diſſentiunt *Arumæus Diſcurſ. 3. ad A. B. th. 42. & Limn. J. Publ. L. 2. c. 9. n. 81.* perſuaſumque habent, verba iſta *d. tit. 7.* commodè uti petitorio, ita & poſſeſſorio applicari poſſe, in quem finem ſimile exemplum *ex Ord. Cam. P. 2. tit. 21.* ubi de poſſeſſorio ſermo eſt, in medium producunt: præterea generalem allegant legum diſpoſitionem, quæ continentiam cauſæ non dividendam jubet, *L. nulli C. de judiciis.* Alii hanc circa poſſeſſorium controverſiam diſtinctione tollendam eſſe, autumant, inter plenarium ſcilicet poſſeſſorium & ſummarium ſeu momentaneum: In momentaneo, cauſam in Camera, ſi Imperatorem illa præveniat, ventilari poſſe; in plenario, neutiquam: cum ſententia in ſummario poſſeſſorio lata, ſit mera interlocutoria, momentaneum ſaltem & facilè reparabile præjudicium afferens. *Gail. L. 1. Obſ.*

 7. n. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

7. *n. 6.* Sententia autem in plenario poſſeſſorio pronunciata, ſit definitiva, magnique præjudicii. *Gail. d. obſ. 7. n. 4.* Sed ea non ſola eſt, quæ circa hunc *tit. 7. O. C.* textum movetur quæſtio; quid enim Juris, ſi non de integro Ducatu vel Comitatu, ſed de certâ ejuſdem parte controverſia orta ſit? Videtur aliquibus, Imperatoris tunc cognitionem in ſuſpenſo eſſe, quoniam in *d. Tit. 7.* verba iſta continentur, *ſo einem Theil gänzlich*, ea autem particula *gänzlich* cum integrum corpus, i. e. integrum v. g. Ducatum, denotet, hinc ſi de parte Regalium feudorum controverſia moveatur, Cameræ Judicium haud ſecus ac Imperatorem cognoſcere poſſe, & tunc præventioni locum eſſe, ſtatuit *Gilmann. voc. Feudum Princ.* Verum contrariam ſententiam veritati & intentioni Legiſlatoris magis congruam eſſe, alii putant; cum hoc caſu eadem militet ratio in parte Ducatus, quæ in toto Ducatu, & Imperatoris interſit, ne vel hac occaſione Ducatus & Feuda Regalia diſmembrentur, vel in Imperatoris aut Agnatorum præjudicium fortè quid diſponatur. *Reinking. de Reg. Sec. & Eccleſ. L. 1. Cl. IV. C.* XIX. *n.* 11. ubi etiam ad argumenta diſſentientium reſpondet; & in arduo quodam negotio ſecundum poſteriorem ſententiam in Aulico Imperator. Judicio pronunciatum fuiſſe, tradit. Quod ſi autem lis inter Proceres Imperii ſit de Feudis non Regalibus, ſive de Feudis minoribus, immediatis, regalem dignitatem annexam non habentibus, Cameram cum Cæſare concurrere, & ſic præventioni locum eſſe, ſentit *Gail. L. 1. Obſ. 29.* Contra eum inſurgit *Leipoldus diſſert. de concurrent. jurisdict. qu. 6.* aſſerens, ſive feudum ſit regale, ſive non regale, modò Imperio immediatè ſubjectum, controverſiam de eodem ortam ad ſolum Cæſarem, excluſa Camerâ, pertinere. Argumenta utriuſque partis recenſet *Limnæus L.* IX. *c. 2. n. 157. ſeq.* quem videſis. Cæterùm probè notandum, in Feudis tàm minoribus quàm majoribus Juriſdictionem Cameræ fundatam eſſe, ſi non ad inveſtituram aut privationem vel aliud Jus ſuper feudis, ſed interdictis adipiſcendæ, retinendæ &c. vel petitione hereditatis, aut ſimili actione agatur. *Blum. ad Proceſſ. Cam. tit. 42. n. 9.*

IV. Num autem ſoli Imperatori Jus de Feudis Imperii Regalibus cognoſcendi, competat; an verò eidem Pares Curiæ adjungendi ſint, parum inter Doctores convenit; Qui Imperatori Soli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

iſtam poteſtatem adſcribunt, pro fundamento habent *R. J. de An. 1521. ſub tit. Römiſcher Königlicher Majeſtät Regiment §. o! auch Sachen &c.* qui §. *in Ordinatione Camerali de An. 1555. & Ordin. Cam. P. 2. tit. 7.* repetitus legitur; item Legem Conradi *in pr. L. 2. F. 24.* & in terminis de hujusmodi caſibus concepta eſt *Ord. Aul. tit. 2. in pr.* & §. *præterea,* adde etiam *Lib. 2. F. 55.* verba autem *d. Tit. 7. Ord. Cam.* hæc ſunt: *Ob auch Sachen fürfielen, Fürſtenthum, Herzogthum, Grafſchafft &c. belangend, ſo vom Reich zu Leben rühren, ſo einem Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen vverden ſolten, derſelbigen Erkäntnüſs vvollen Wir der Kayſ. Maj. oder in ihrer Kayſerl. Maj. Abvveſen, Uns, als Röm. König hierinn, doch ſonſt, in andern Sachen dieſer Ordnung unabbrüchig, vorbehalten haben, &c.* Indeque concludunt, ſi Status Imperii eam cognitionem non ſoli Imperatori reſervari voluiſſent, tàm claris totieſque repetitis verbis certè adjeciſſent, ut Parium conſenſus in cognitione tali non excluderetur. *Reinking. d. l. c. XIX. n. 21.* Præterea ad Conſtitutiones Friderici II. & Alberti I. Imperatorum apud *Goldaſtum P. 1. der Reichsſazung p. 21. & 27.* ibi verba: *ſelber richten* provocant, utpote non diverſum teſtantes. Et cum Principes creandi vel dignitate exuendi facultate non gaudeant Curiæ Pares, neque in eorum poteſtate eſſe, de Principum diſceptationibus ratione Feudorum Majorum, per quas ſuccumbens Ducis titulo reſpectu Feudi orbatur, cognoſcere; ſed penes Cæſarem iſtam poteſtatem manere, utpote, qui ſolus Principibus dignitatem confert, ſtatuit *Arumæ. Diſſ. 3. ad A. B. &. 41. p. 165.* Porro adjicit, cum Imperialis Camera, quæ concurrentem cum Imperatore Jurisdictionem habet, in partem dijudicationis de hiſce Feudis non vocetur, multò certè minus Pares Curiæ vocandos eſſe, velut in Juriſdictione cum Imperatore non concurrentes. *Arum. Diſcurſ. Academ. p. 191.* Neque hæc ſententia eget exemplis Imperatorum, qui ſoli horum Feudorum cognitionem in ſe ſuſcepêre: Sic Rudolphus II. in cauſa Juliacenſi judicium ſolus ſibi aſſeruit, approbante Chriſtiano II. Saxon. Electore, cæteriſque Principibus, qui Pragæ aderant An. 1610. Præterea in ipſis Comitiis Ratisbonenſibus 1613. in controverſia de Marpurgenſi ditione, rejecta fuit Haſſi Caſſellenſis adverſus Darmſtadinum petitio, de Principibus Judicio aſſeſſoribus dandis, & litigantes ad ſolum Imperatorem Ferdinand. II. remiſſi, qui & ſententiam An. 1623. tulit. Ita quoque Matthias Imperator

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

rator in negotio de Grubenhagenſi ditione pronunciavit ſolus. *Conring. Diſput. de Jud. Germ.* Hanc ſententiam ſtrenue defendunt, *Reinking. L.* 1. *Claſſ.* 4. *c.* 19. *per tot. Buxtorff. ad A. B. th.* 62. *lit. C. & D. Carpz. de Lege regiâ c.* 9. *Sect.* 12. *n.* 27. *Stamler de Reſerv. Imper.* §. 38. ubi quàm operosè *Limnæi* contrariam opinionem impugnat.

V. Hanc qui rejiciunt ſententiam, in medium producunt, Privilegium ſingulare Principum Germaniæ, *Das Fürſten Recht*, cujus vigore Imperator in cauſis ejuſmodi Feudorum Regalium abſque Conſilio Procerum Imperii tanquam Curiæ Parium, nihil nec poſſit nec debeat ſtatuere. Accedit conſtitutio Sigiſmundi Imperatoris & Principum Imperii facta Baſileæ, qua ſancitum, ut in cauſis, quæ Principis Imperii vitam vel honorem aut Feuda concernunt, Imperator in conſilium tàm Eccleſiaſticos quàm Seculares Principes imò etiam Abbates Principali dignitate conſpicuos, adhibeat. Ejuſdem tenoris Conſtitutio videre eſt *in R. J. de An.* 1466. eaque diſpoſitum, ut controverſiæ de Feudis tàm majoribus quàm minoribus, coram Domino Feudi & Paribus Curiæ agitentur. Porrò, cum Feuda Regalia ab Imperatore non dependeant ſolo, ſed inſimul ab Imperio, itaque nec cognitionem de iiſdem ſoli Imperatori attribuendam eſſe, iſti perhibent; eamque Friderici III, Imperatoris quoque ſententiam fuiſſe, quam in litteris ad Henricum Bavariæ Ducem expreſſit: *Das Fürſten Sachen für den Kayſer allein, mit zuziehung der Fürſten-Genoſſen, nach Fürſten-Recht ſollen gewiſen werden &c.* Denique has rationes illuſtrant obſervantiâ priorum temporum, & exemplo Sigiſmundi Imperatoris, qui datis ad Concilium Baſileenſe litteris, controverſiam de Electoratu inter Henricum Lauenburgicum & Fridericum Saxoniæ Ducem exortam, & ad Concilium An. 1415. delatam, ad forum ſuum remitti petiit, Parium Curiæ adhibito conſilio eam terminaturus. Sic quoque litem inter Henricum & Albertum Duces Bavariæ nonniſi accedente Parium Judicio Conſtantiæ terminavit. Eumque morem jam ab antiquiſſimis temporibus in Germania obſervatum fuiſſe, plura teſtantur exempla. Hæc ſunt præcipua pro Paribus Curiæ militantium argumenta, quæ latiſſimè deducit, & argumenta in contrarium allata refutat *Limnæus L.* 2. *Jur. Publ. P.* 1. *c.* 9. *n.* 32. *ſeq.* & *in additionibus ſub num.* 55. In eandem quoq; abeunt ſententiam poſt alios *Lehmann. in Chron. Spirenſi L.* 2. *c.* 9. *Schrad. de Feudis p.* 10. *Sect.* 2. *n.*

2. *n.* 14. *Fridberg. ad Burcholdum, P.* 2. *Diſſ.* 20. *n.* 3. *per tot.* ubi *Limnæum* contra *Stamlerum* prolixè defendit. Noviſſimis, qui poſteriorem hanc ſèntetinam defendunt, accenſendus *Dom. Textor. de Rat. Stat. c.* 2. *p.* 23. *& ſeqq.* qui in eam adducitur tam auctoritate Judicii Principum, *des Fürſten Rechts*, quam teſtimonio *§.* 39. *Capitulat. Leopold.* & *Art.* 8. *Inſtrum. Pac.* item *§.* 188. *Receſſ. Imper. de An.* 1654. Sed ad has rationes reſpondet *Rhætius Jur. Publ. L. IV. Tit. IV.* Quod Judicium Principum concernit, cum ſtud nullâ expreſſâ Lege Imperii probetur, neque conſtans obſervantia illud firmet vel probet: deinde Ordinationis Cameralis textus ſatis apertus ſit, var. iſque textibus Juris Publici firmatus, uti exemplum *in art. IV. in fin. Inſt.. Pac. Osnabrug.* meritò in ejuſmodi cauſis ſolum Imperatorem Judicem competentem agnoſcendum, præſertim, quoniam *d. §.* 55. *art. V. Inſtr. Pac.* liberum Cæſari relinquitur, an in talibus cauſis Electorum vel Statuum conſilium adhibere ſimul velit. Porrò *allegatum §.* 39. *Capit. Leopold.* non obſtare, ait, nam ibi ſermonem eſſe de cauſis extra proceſſum, ipſo contextu teſte. Neque §. 188. *R. J. de An.* 1654. in contrarium ferire, ibi enim verba adjecta eſſe, *um mehrer des* Reiches *Sicherheit vvillen.* Ita etiam *art.* 8. *Inſtr. Pac.* haud juvare diſſentientes, quod ibi tantummodò de cauſis ad Comitia pertinentibus agatur: ejuſmodi autem cauſas feudales legitimo proceſſu ibidem ventilar debere, negat *Dn. Rhætius l. c.* Cæterùm, quod allata exempla attinet Imperatorum, qui adhibitis Imperii Principibus, quondam controverſias Feudorum Regalium decidere ſoliti fuerunt, quaſi in remunerationem eo temporis tractu Principibus, ut ab Imperatoribus in controverſiis emergentibus, tanquam Conſiliarii adhiberentur, ſtatuit *Arum. Tom. I. Jur. Publ. diſc. II. p.* 192. iſthoc, licet à diverſis Imperatoribus, inſequentibus quoque temporibus fuerit obſervatum: ideo tamen in neceſſitatem rapiendum haud eſſe, quaſi Imperator ſolus in hiſce cauſis judicium ferre nec potuerit neque etiamnum poſſit, tradit *Carpz. ad L.* Reg. *L. IX. Sect.* 12. *n.* 27.

VI. Poſtremò circa Conſtitutionem iſtam in Ordinatione Camerali. *P.* 2. *tb.* 7. aliud adhuc dubium movetur, num ſcil. de his feudis regalibus repudiato Imperatore, in arbitros compromittere liceat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ceat? Affirmativam quidam defendere conantur, ob generalem Juri Feudalis Conſtitutionem, quæ Vaſallis in arbitrum compromittere permittit, *text. in c. 1 de inveſtit. in marit. fact. cap. 1. an apud Judic. vel Domin.* Huic ſententiæ inter alios adhæret etiam *Dominus Struv. de Feudis c. 16. th. 8.* Quamvis autem generalis iſta Juris Feudalis diſpoſitio ſit, ea tamen ad noſtrum caſum trahi non poterit, ſiquidem cognitio de Feudis Regalibus eſt de reſervatis Summi Principis, per *d. Ordinat. Cameralem P. 7. Tit. 7. ibi: Uns vorbehalten haben*; de quibus nec ſtatuere nec paciſci quiſquam, in præjudicium Superioris poteſt, *c. cum inferior de major. & obedient.* Quod ex *Baldo* confirmat *Reinking d. l. c. XIX. n. 130.* exemplo Ducis Sabaudiæ, qui cum Marchione Salutiarum litigans, de Feudis Imperii in Regem Franciæ compromittere non potuit.

CAPUT III.
De Foro Principum Italiæ.

I. ITaliam olim è Provinciis Romani Imperii præcipuam fuiſſe, hodieque indiſſolubili vinculo cum Imperio Romano Germanico connexam, alterum quidem nemini non perſpectum eſt, alterum autem ad Lydium, quod ajunt, lapidem adhuc revocandum eſſe, videtur. Ideò vel maximè, cum Italiæ Principum permulti ab Imperii Romano-Germanici poteſtate exemtos ſeſe profiteantur. Noſtrum erit hîc præcipuos Italiæ Principes & Reſpublicas recenſere, quidque circa earum ſubjectionem, quâ Imperio Romano-Germanico tenentur, vel exemtionem Juris Publici ſcriptores communiter ſentiant, habitâ brevitatis ratione, inquirere.

II. Pontificem Maximum in Italia longè lateque regnare, ipſamque Urbem Romam, Caput olim Romani Orbis, in bonis ſuis numerare, neminem procul dubio fugit. Ampliſſimas autem poſſeſſiones iſtas maximam partem è liberalitate Imperatorum in illum promânaſſe, aliquam tamen præſcriptione ipſum acquiſiviſſe, communiter ejus clientes ſtatuunt. Enim erò,

quod

quod urbem Romam attinet, ea teſte *Baronio in Annal. ad A.* 962. ab Ottone Magno recuperata, & Joanni XII. Pontifici, cujus Prædeceſſores ejus poſſeſſione exuti fuerant, tabulis deſuper confectis, de novo dono data eſt, (Eccleſiæ enim Rom. à Conſtantino M. factam hujus Urbis aliarumque Provinciarum donationem, & rudioribus annis tantoperè defenſam, ipſe *Baronius* ut commentitiam rejicit) ſimulque confirmatæ ſunt, Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii donationes, quibus Exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Territorium Sabinenſe, Ducatus Spoletanus, & plures aliæ terræ, & Civitates integræ in Pontificum Romanorum poteſtatem tranſiere. Magni hujus Ottonis Nepos Otto III. liberalitatem quoque ſuam in ſedem Apoſtolicam exercuit, Octo Comitatibus videlicet, Sauro, Fano, Senogallia, Ancona, Foſſabro, Callio, Heſio & Auſino, Sylveſtro Papæ dono oblatis. Dein Mathildis Comitiſſæ in ſedem Apoſtolicam propenſo affectu, ditionibus ejus Lombardia & Fuſcia, (quod munus hodiè καθ' ἐξοχὴν S. Petri Patrimonium audit) acceſſêre. Rudolphus I. Habspurgicus non tantùm donationes prædeceſſorum ſuorum confirmavit, ſed & pleno jure ac integrè (referente quidem *Bzovio in Hiſtoria Anni 1278.*) terras & provincias, quas pridem acceperant Pontifices, de novo conceſſit & contulit, diverſiſque additis civitatibus & territoriis, Patrimonium D. Petri auxit. Extant porrò Tabulæ donationis Cæſaris Henrici VII. Lucelburgici, quæ terras prædictas omnes jure pleniſſimo ſedi Apoſtolicæ ſubjectas declarant. Ejuſdem tenoris Caroli IV. ſunt duo diplomata Pontificibus data, quibus præter ſupra recenſitas urbes & provincias, Regnum Siciliæ cis & ultra Pharum, Sardinia & Corſica it. Civitas Beneventi, Comitatus Venuſinus, Civitaſque Avinionenſis ſedi Apoſtolicæ ſubjiciuntur. Sic & à Carolo V. Cæſare Ducatu Parmæ & Placentiæ bona ſedis Romanæ aucta fuiſſe, aliqui memorant. Cæterum, non deſunt, qui Imperatoris & Imperii ſupremum Jus in terras Pontificis non obſtantibus hiſce donationibus, graviſſimis defendunt argumentis; idque *Conringius in Tractatibus de Finibus Imperii & Germanorum Imperio Romano*, & *Bœclerus in notitia Imperii* eruditè prorſus vindicârunt, atque ad amuſſim docuerunt, donationes Imperatorum ſemper cum exceptione ſupremi Dominii factas

 ctas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ctas fuiſſe; & quod in ſpecie Ottonis Magni repetitam donatio-nem Urbis Romæ aliarumque Provinciarum attinet, tabulas e uſ-dem, productas à *Baronio ad An. 962.* pro ſuppoſititiis refutat *Con-ringius de Finib. Imperii. c. x. p. 106.* &c. & *de Germ. Imper. Rom. L. 1. c. x. p. 68. ſeq.* Otto III. Cæſar octo quidem Comitatus Romanæ Eccleſiæ dono obtulit, non autem Imperium Urbis, quinimò re-vocâſſe videtur Caroli Calvi conceſſiones, prout modò laudatus *Conringius* teſtatur *de Fin. Imp. L. 1. c. ix. p. 117.* idem *l. c. p. 170.* Ottonis III. Tabulas examinat & contra *Baronii* objectiones tuetur. Quam controverſa fuerit Mathildis donatio, oſtenditur ab eo-dem *L. 1. . C. x. p. 120.* & reliquæ conceſſionum tabulæ Imperato-rum examinantur *c. 20. Boeclerus Not. Imper. L. 11. c. 2.* ſtatuit, Pontificibus donationis Cæſareæ titulum allegantibus, incumbere, ut antea demonſtrent: (*1.*) an & quomodo factæ ſint iſtæ dona-tiones? tabulis non ſummatim excerptis, ſed authenticis & for-malibus, (2.) an præter utile Dominium, ipſis aliquid acceſſerit illis donationibus? (3.) an Imperator ſolus potuerit facere, ut præter Dominium utile plenum quidquam ad Pontifices perveni-ret, aut Cæſareum & Imperii Jus in eos transferretur? (4.) an hoc potuerit cum conſenſu Electorum vel quorundam vel Collegii totius facere? (*5.*) An conſenſus quorundam Electorum & quo-rundam Principum ad hoc ſufficere potuerit? (*6.*) An non clauſula ſalutaris, de juribus Imperii, ſive Jure Cæſareo reſer-vatis, omni donationi tali tacitè inſit, etiamſi verbis non fuerit clarè expreſſa? *Confer Grot. L. 1. c. 4. §. 10. & L. 2. c. 6. §. 3. & 7. Alberic. Gentil. L. 3. c. 15. p. 608. de alienatione Regni* ita ſcribit: Etſi nulla ſpeciali lege prohibeatur alienatio, generali tamen omnium regnorum lege, cum ipſis nata & quaſi jure gentium videtur eſſe vetita. vid. *Capit. Leop. art. 12. Conring. de Fin. Imper. c. 19.* Neque hîc præſcriptioni eſſe locum, Bœclerus oſtendit: (1.) ex no-mine Romani Cæſaris conſtanter retento. *Grot. L. 2. c. 4. §. 6. & §. 12. n. 2.* (*2.*) Ex Jure Coronationis Romanæ totaque ejus ceremo-nia. (3.) Ex petitione Pontificum à novis Cæſaribus, donatio-nes ſibi antea factas, confirmari deſiderantium. (4.) Ex creatio-ne Equitum & Comitum Palatii Lateranenſis &c. (*5.*) Ex Pri-vilegiis quæ à Cæſaribus indulgentur terris Papalibus. (*6.*) Ex prælatione enſis, quem Præfectus urbis Romæ Cæſari ſem-

per

per præfert. (7.) Ex actibus ſummæ poteſtatis aliis. Hæc de Pontifice Romano: nunc ad alios Italiæ Principes.

III. Non deſunt vel hodienum, qui DUCEM SABAUDIÆ ſui omninò eſſe Juris, neque Imperii Vaſallum, arbitrantur & pronuntiant. Inter quos eſt *Antonius Teſſaurus in præfat. Deciſ. n. 13. & 14.* qui contra *Bodinum* pro Sabaudiæ Principis ſumma poteſtate diſputat, & Jure Conſultorum alii à *Bodino* adducti *L. 1. de Rep. c.* x *n. 129.* ipſum autem Bodinum veritatis vis adegit, Imperii Jurium hoc in paſſu quaſi defenſionem in ſe ſuſcipere, & aperte manifeſtare, ſummam poteſtatem Duces Allobrogum ab Imperatoribus neutiquam fuiſſe adeptos, cùm ipſi ſeſe Imperatoris Vicarios etiam in ſuis terris nominent; neque tamen quidquam Majeſtati tàm contrarium, quàm ſe Vicarium ejus profiteri, à quo Jura Majeſtatis habere te putes, in ipſa Provincia cui præſis. vide omnino *Capit: Leop. art. 4.* Accedit & ipſa Allobrogum confeſſio, qui Sabaudiam dicunt, Imperii feudum extitiſſe, & Dominos ejuſdem fiduciarios, ab Henrico V. Imperatore Comites, & Sigiſmundi Cæſaris beneficio, Duces creatos, eandemque dignitatem à D. Carolo V. clientelari, lege Carolo Duci attributam fuiſſe; qui & Imperatori fidem dedit & ab eo fiduciæ formulam Auguſtæ accepit. Deinde paſſim in Conſtitutionibus Imperii Sabaudiæ Dux audit Princeps & Vaſallus Imperii, nomenque ejus in matricula Imperii, onere certo addito, reperitur. Adeoque extra dubitationis aleam poſitum eſſe, dicendum eſt, Ducem Sabaudiæ nomine Ducatus cognominis it. Pedemontii (de quo tamen dubitat *Spreng. Jur. Publ. L.* III. *c. 23.*) & ratione eorum quæ ex Regno Arelatenſi poſſidet, eſſe Principem Imperii Germanici beneficiarium, Germaniæque Judiciis obnoxium. Hinc ad eum attinent ſententiæ Tribunalis Supremi Cameræ, & mandata publica decernuntur, & Bannum in Sabaudiæ Ducem promulgatum à Camera fuiſſe, teſtatur *Gylmann. in præjud. Camer. p. 56.* Videtur tamen quibuſdam, propter Rocheveranum, Olnum & Cæſolam, Ducem Sabaudiæ per Pacificationem Monaſterienſem cum Gallo initam, abſolutam omninò poteſtatem obtinuiſſe, quod ex verbis Inſtrumenti Pacis, ibi: *Nullatenus inquietentur in Superioritate ſeu Jure Superioritatis,* it: *quæ à Romano Imperio nullatenus dependent*, evincere conantur, eoque incli-

inclinat *Oldenburger. in Limn. Enucl. L.* III. *C.* XXII. *n.* 2. *Jac. Bern. Mulzius* & plures. Placet autem è diverſo aliis iſta Inſtrumenti Pacis interpretari verba, non quod tres prædicti tractus ab Imperii ſuprema Jurisdictione in univerſum exemti, & nulla prorſus ratione eidem devincti ſint; ſed quod terrarum illarum clientelare jus non dependeat proximè ab Imperio & Cæſare, ut exiſtimabatur, ſed ab uno Duce Sabaudiæ: hancque ſententiam probant *Conringius*, *Joh. Vol. Bechmannus* & *Gab. Schvveder Jure Conſ.*

IV. Quem ſecundo loco conſiderandum ſiſtimus, Hetruriæ eſt Magnus Dux ejuſdemque Poſſeſſiones. Solet autem Hetruriæ Ducatus in binas vulgò partes dividi, Dominium Vetus ſc. & Novum. Illud Florentinæ Piſanæque urbis omnia, hoc Senenſem urbem aliaque noviter Magnis Ducibus acquiſita, comprehendit. Dominium autem vetus liberum & abſolutum à quàm multis creditur, nullique obnoxium, emtâ à Rudolpho I. Cæſare, Florentinæ urbis integra libertate. Tradunt enim Platina, Trithemius, Cuſpinianus aliique, inter quos & *Sigonius l. 20. de Regno Italiæ*, Imperatorem hunc, pretio accepto, Italiæ Urbes potentiores quaſque plena libertate donaſſe, ſed huic traditioni fidem nullo prorſus modo adhibendam eſſe, monet *Conring. de fin. Imp. L. II. c. XXIII. p. 496.* cum nullæ tabulæ publicæ, quibus alioquin tantæ res ſolent in robur & memoriam perpetuam comprehendi, in univerſâ Italia reperiantur, neque tales ſe vidiſſe unquam, ingenuè fatetur ipſe Sigonius; neque ullam Italicarum urbium, mota à ſequentibus Imperatoribus de libertate controverſia, aliquam Rudolphi tabulam pro cauſa ſua adducere potuiſſe, conſtat; & Genua ipſamet in lite cum Marchione Finalienſi, provocare tantùm ad Caroli V. aliquod diploma potuit. Præterea obſtat, quo minus Sigonianæ narrationi fides habenda, neminem hiſtoricorum Rudolphinæ ætati ſaltem propinquorum, tale quid memoriæ prodidiſſe, neque auctores ſupra nominatos, qui hujus negotii mentionem fecere, inter ſe convenire, *Sigonius* enim ait, integræ Italiæ libertatem conceſſam. *Platina* & hunc ſecuti *Sabellicus, Trithemius &c.* Lucenſes & Florentinos ſtatuunt, omninò liberos factos, *Blondus* autem *Cranzius* & alii, in libertate quidem eos dimiſſos, ſimul tamen Imperii

fideles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

fideles à Cæſare eſſe pronunciatos. Denique ex Hiſtoria ſecuti ævi conſtat, nullam urbium Italiæ, ſtatim à Rudolphi ævo, omne obſequium negaſſe Imperatoribus, ſed humili modeſtia Dominos eos obſervaſſe, portas adventantibus pleriſque aperuiſſe, & claves obtuliſſe, imò etiam pecuniam miniſtraſſe, ſæpè ſuas controverſias illis detuliſſe, & ſententiæ obtemperaſſe. Quodſi interdum quid ſecius accidit, Guelphicæ factioni adſcribendum eſt, quæ interdum prævalebat. Et quamvis concedatur, in plenam libertatem Civitates iſtas, accepta ingenti pecuniæ ſumma, à Rudolpho fuiſſe vindicatas, omni tamen jure deſtituitur ejuſmodi contractus, cum ex conſenſu Ordinum Imperii omnium non fuerit initus, qui tamen omnino requiritur. Vide *Cap. Leop. art. 12.* Atque ita ſentiendum quoque de Henrici VII. & Caroli IV. venditionibus, quibus Lucenſes & Senenſes ſui Juris facti dicuntur, & Gambacurtio Summa in Piſanos poteſtas tradita fuerit; quodſi enim tale quid horum aliquis commiſerit, id quod hactenus probari non potuit, nihilominus tamen ſalva manent Imperii Jura, quippe Cæſarum venditionibus neutiquam obnoxia. Cæterum, cui tandem non cognitum, ipſam urbem Florentiam à Carolo V. Cæſare bello ad officium revocatam eſſe, nam cum adverſum Cæſarem arma ſumſiſſent ejus Cives, Majeſtatis rei facti, libertate & antiquis Cæſarum Privilegiis privati, Alexandrum Mediceum Principem ab Imperatore acceperunt, teſtante *Paulo Jovio L. 27.* ubi porrò addit, quomodo Reſpublica ab eo diplomate facto, tunc fuerit ordinata, & Mediceæ familiæ principatui ſubjecta, ſimul narrans, quemadmodum diploma ilud Florentiæ exceptum, & ad illam formulam omnia inſtituta fuerint. Ex quibus patet omnibus, Dominium Hetruriæ antiquum Cæſaribus obnoxium eſſe, cum & ipſi Cives Florentini faſſi ſint, licere Cæſari, Rempublicam ſuam ex arbitrio ordinare. Porro nemo eſt qui neſciat, Mediceos unicè Principatum novum Cæſari debere, quippe cujus auctoritate Florentinis præpoſiti fuerunt. Neque hîc omittendum eſt, Maximiliani II. negotium, quatenus ad dignitatis Magni Ducis Coſmo attributæ, confirmationem ſpectat, quippe quæ cum evidenti Clauſula & exceptione Juris Cæſarei conjuncta eſt, ut titulis videlicet iſtis Franciſcus Mediceus *tanquam Imperii beneficiarius (verba Thuani*

 ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ſunt *L. 6. ad ann. 1574.)* gauderet. Quæ de Florentinâ urbe ac ditione in medium prolata, ea etiam de Piſanâ urbe dicenda ſunt; eſſe eam quippe veterem ac veram Imperii portionem, quod nulla exemtio ex conceſſionum tabulis oſtendi poteſt; quin potius ſupremum Jus in iſtam ditionem verbis clauſuliſque ſignificantibus à Maximiliano II. fuiſſe Imperio reſervatum, tradit *Dn. Schurzfleiſch. diſp. de diviſ. Imperii Carolini, circa fin.* Diſſentiunt quoad Piſanas terras, eaſque ſoli Magno Principi Hetruriæ ſubjectas, neque Imperio in eas quoddam amplius Jus eſſe, ſtatuunt *Georg. Hornius Orb. Pol. P. 2. Spreng. Font. J.P. p. 253.* Ad novum Dominium M. Ducatus Hetruriæ diximus referri etiam Senenſium Rempublicam, quæ ſicut & Iluæ Dominium Regis Hiſpaniæ beneficiario Jure poſſidetur: utriuſque autem nomine Hiſpanus ſeſe agnoſcit Imperii Vaſallum, adeoque horum tractuum intuitu Sub-Vaſallus Imperii M. Hetruriæ Dux dicendus eſt. Eadem eſt Iluæ conditio, quam ad Cæſaream Juriſdictionem pertinere Inſulam, non ambigitur. *Thuan. L. V.* Reliqua Mediceorum territoria, ut Filaterra & alii Marchionatus olim à Malaſpinis poſſeſſi, vel proximè vel remotè & alio intervenientе, citra tamen controverſiam, ad Imperium pertinent, & clientelam profitentur; de quibus videantur Scriptores paſſim, & Feudorum Italiæ Index.

V. Extra omnem dubitationem MANTUÆ & MONTIS FERRATI DUCATUS clientelari Jure Imperio obſtricti ſunt, idque non abnuunt Poſſeſſores utriuſque Mantuæ Principes, quin potius ſe Imperii Rom. Germanici Principes, & in Imperii Patrocinio ac fiducia eſſe profitentur *Bodin. de Rep. p. 192.* Et verò uſque adeò id certum eſt, ut cum Sabaudiæ Dux partem Montisferratenſis provinciæ tanquam ſibi debitam occupâſſet, per leges tranſactionis Cheraſci Ao. 1631. inſtitutæ, & poſt, Inſtrumento pacis Cæſar. Gall. confirmatæ, feudali vinculo ſeſe Cæſari obſtringere, horum quoque locorum ergò fuerit adactus. vid. *Cap. Leopold. art. 4.* Notandum autem, quod Ducatum Montisferratenſem attinet, Pinarolum in eo ſitum cum pertinentiis ab Imperatore & Imperio in Regem Galliarum cum Jure directi Dominii & Superioritatis per *Pacem Neomagenſem* §. XXXI. fuiſſe tranſlatum: reliquæ autem omnes iſtius Ducatus partes atque acceſſiones ditionis Imperialis ſunt, & inconſulto ſupremo Domino nec alienari, nec pacta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

pacta ſuper iis facta, valida eſſe aut vim Juris conſequi poſſunt, niſi à Cæſare approbentur rataque habeantur. Mantuani Ducatus quondam fuere partes Guaſtella, Novellaria, S. Martino & alia cum Caſtellis ſuis, quæ minoribus natu Principum filiis obtigerunt; qui autem illa tenent, Ducem Superiorem non reverentur, ſed directè ſe Cæſaris Vaſallos eſſe dicunt. *Conring. de Finib. p. 526.* Cæterùm, quamvis hi Ducatus ad Imperii pertineant patrimonium, non tamen eos membra & Status ejuſdem eſſe, neque præter Jus feudale ullam ex illis Imperium utilitatem capere, Electores Ao. 1630. ad Imperatorem Ferdinandum II. reſcripſere. vid. *Limn. ad Capit. p. 627.*

VI. Imperio fundata eſſe Jura in MUTINÆ & REGII PRINCIPATUS, nemo eſt, qui ambigat. Hodie iſti penes familiam Eſtenſem ſunt; Nam Cæſar Eſtenſis, Alfonſi II. Ducis Ferrarienſis filius, excluſus à Pontifice à ſucceſſione in Ducatu paterno, quod filius non legitimus eſſet, Rudolphi II. Imp. gratia natalibus donatus, ſimul Regium Lepidi Mutinamque lege beneficiaria poſſidenda accepit. Ferrarienſem autem Ducatum repetiit Clemens IX. nihilo tamen ſecius, ſalva eſſe in eundem Cæſaris Supremum Jus ac poteſtatem, dicendum eſt.

VII. Caroli V. liberalitate PARMAM & PLACENTIAM Pontificum territorio acceſſiſſe (prout ſupra dictum) ſunt, qui memorant. Viciſſim alii tradunt, Cæſarem, urbes iſtas veluti Mediolanenſi Dominio antiquitus attributas, atque adeo feuda ſimul Imperii, injuſtè à Pontificibus teneri, ægrè tuliſſe, quod *Paulus Jovius. L. 27.* teſtatur, literæque Caroli V. ad Clement. VIII. anno 1526. ſcriptæ §. 39. confirmant. Utcunque autem hæc ſeſe habeant, illud certum eſt, vindicatas eſſe eas ab Imperatore Carolo V. tanquam Cæſarei Juris urbes & partes Mediolanenſis Ducatus, indignante quamvis Pontifice Paulo III. Farneſio, qui illas in filium Aloiſium, nomine ſedis Apoſtolicæ contulerat. Poſtea tamen Cæſar invitus quidem, illas Pontifici conceſſit; cumque Placentia Octavio Farneſio redderetur, diſertè adjectum: *manerent Imperio ſalvæ rationes, quas in Parmenſi ditione habet.* Etſi verò Principatus illius omnia à Pontifice dependeant proximè, totus tamen Cæſarei Juris eſt ſaltem remotè, prout omnia Pontificum clientibus poſſeſſa.

VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

VIII. Mediolanensis Ducatus à Wenceſlao Cæſare inſtitutus, clientelari lege Joanni Galeacio attributus eſt. Interjecto deinde tempore, eundem Franciſcus Sfortia armis occupavit, & per legatos poſtulavit à Cæſare, ut Auguſtali diplomate confirmaretur, ſed inani ſucceſſu gratiam Cæſarum Franciſcus pariter ac filius ejus Galeacius ambierunt. Ludovicus tamen Galeacii frater meliori fortuna uſus, â Cæſare Maximiliano I. voti compos factus eſt. Sfortiis poſtea extinctis, Cæſar Carolus V. Ducatum ad Imperii Jura devolutum, quodque Franciſcus Rex Galliæ Juribus, ſi quæ habuiſſet, reddidiſſet ſe indignum, vindicavit, & in filium Philippum tranſcripſit. Ab hoc tempore Ducatus iſte Cæſarum beneficio, Regibus Hiſpaniæ conceſſus collatuſque eſt, quem pariter ac Marchionatum Finalienſem, Senas quoque & Plombinum in Italia clientelari Jure poſſident; ut proinde clariſſimum ſit, jam pænè à Rudolphi tempore, citra controverſiam, Principatum illum in Imperii fuiſſe obſequio, haud ſecus ac ante ejus erectionem, terræ illæ omnes Imperii legibus paruerunt.

VIII. Hæc de præcipuis & potentioribus Italiæ Principibus ac Principatibus: Non videtur autem ex re fore, neque operis propoſiti regula permittit, ut de reliquis omnibus Italiæ Principibus numero non paucis, ſingulatim hoc loco agatur. Eos autem Imperio ſubjectos eſſe, minus dubium eſt: Nec enim libertatem integram & exceptione carentem ſeſe conſequutum, eorum quiſquam probare hactenus conatus eſt; nihilque certius, etiam antiquis temporibus eos pariter ac eorundem terras Imperii Leges devotè audiviſſe.

IX. Pauca de Rebuspublicis Italiæ addenda ſunt: Inter quas prima ſors eſt Ducis & Reipublicæ Venetorum. Urbem autem Venetam ipſam inter Adriaticas aquas ſubſiſtentem, nunquam Germanici Juris factam, ſed fœdere inter Carolum M. & Conſtantinopolitanos Cæſares inito, Orientali Imperio redditam, & à legibus Occidentalis Imperii abſolutam fuiſſe, ex annotationibus Franciſcis probare contendit *Conring. de Fin. Imp. L.* 1. *c.* XI. Cæterum neque ſucceſſu temporis, Imperatores Occidentales vel Reges Italiæ in urbem illam poteſtatem ſibi arrogârunt, vel contra libertatem ejus quidquam moliti ſunt, quicquid etiam in contrarium de Carolo Craſſo afferat

Sigo-

Sigonius L. 4 de Regno Italiæ. Quin potius Duces Venetorum Amicorum Imperii, ipſas autem Venetias Regni titulo à Cæſaribus condecoratas eſſe, probè conſtat: Enimvero, adſunt Henrici V. Cæſaris tabulæ, quæ hujus rei fidem faciunt, quæve ex Venetorum inſulis libertatis illius factæ fuerint participes, oſtendunt. Hiſce teſtimoniis non obſtantibus, permulti, Venetam urbem integrâ biberta- te de Jure non gaudere, aſſerunt, quod *Auctor Scrutinii Libertatis Venetæ* declarare cupiens, ante annum 1300. Venetos ſe pro liberis nunquam geſſiſſe, tradit *c. 76.* & Rudolpho I. imperante, privilegium cudendæ monetæ Venetis datum fuiſſe, ex *Samſovino* refert. Putat autem Eruditiſſimus *Conringius*, conſecutos eſſe Venetos à Rudolpho monetæ Jus, non ſimpliciter, ſed ejus monetæ, quæ in Regni Italici vicinis locis poſſit valere. Domi enim jam olim ipſis integrum fuerat, monetam pro lubitu cudere, fortaſſis autem ille nummus extra urbem non valuit. Hactenus de ipſâ Venetâ urbe; Jam de iis, quæ Veneti in Italiæ continente ora occupaverunt; ubi multum diſpar eſt ratio. Terras enim iſtas in ditione Regni Italici etiamnum Rudolpho Cæſare fuiſſe, nec ipſi inficias ire poſſunt Veneti: Eos namque adhuc Henrico VII. Cæſare, An. 1311. tributum ex more veteri ſolviſſe iſtarum terrarum intuitu, quæ Regno Italico tùm adhuc accenſebantur, tradit *Conradus Vecerius de rebus geſtis Henrici VII. Imp.* atque ex eo tempore pleraque poſſeſſione Imperii excidiſſe, Veneti ipſi ultrò fatentur. Et quamvis bello à Scaligeris, Carariis, Vice-Comitibus aliisque multa occupaverint, hiſce tamen non fuit integra in bona ſua potestas, adeoque nec Imperium ſummam ſuam poteſtatem in terras iſtas perdidiſſe, dici poteſt, conſule de hac materiâ præter alios *Limn. P. J. P. L. 1. c. 9. & addit. & Reinking. de R. S. & E. L. 1. Cl. 11. c. 9. it.* egregium tractatum Graswinkelii oppoſitum Scrutinio Libertatis Venetæ anonym. Autoris.

X. Genuensis Respublica, licet ampliſſima jactitet Privilegia & omnimodam exemtionem, nihilo tamen ſecius ad Imperium pertinet: ejuſdem cauſam defenderunt Jureconſulti præclari nominis, inter quos *Menochius in Reſponſo in cauſa Finalienſi pro Genuenſibus conſcripto. art. 1. n. 46.* Genuenſibus autem à Rudolpho I. libertatem non fuiſſe conceſſam, ſupra jam demonſtratum, neque à Cæſaribus ſequentibus iſtos in libertatem fuiſſe poſitos, argumento eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

id, quod in controverſia Finalienſi, præter Caroli V. Cæſaris tabulas nullas alias, pro aſſerendâ hac affectatâ libertate potuerint in medium producere; Caroli autem Imper. diplomati ſalutaris clauſula *ſalvo Jure Imperii*, diſertis verbis adjecta eſt, & non ſemel inſerta tabulis iſtis verba: *Civitas noſtra Genua*. Hæcque Imperii Majeſtas eluxit etiam Ferdinando I. & Maximiliano II. imperantibus, in negotio Finalienſi. Cum enim Senatus Genuenſis Marchionem Finalienſem ſedibus ſuis ejeciſſet, & Cæſar Ferdinandus Senatum evocâſſet, neque iſte Cæſari cauſæ cognitionem ut Judici, ſed tantum ut Arbitro, committere induci potuiſſet; Imperator denuò iſtos ſub gravi pœna ad ſuum tribunal citavit, additis minis, ni ſtatuto comparerent tempore, ſe in favorem partis adverſæ judicaturum. Quibus permotus Senatus, Oratores ad Cæſarem, qui cauſæ defenſionem ſuſciperent, ablegavit; cumque cauſâ cecidiſſent Genuenſes, ab Imperatore ad Summum Pontificem provocare primò non veriti, paulò tamen poſt, appellatione deſertâ, judicato paruerunt. *Pet. Bizari L. 23. Hiſtor. Genuenſ. p. 571.* adde *Limn. L. 1. c. 9. & præſ. addit.*

XI. Lucenſem Rempubl. inter eas eſſe, quæ nummo ſibi à Rudolpho I. Habſpurgico comparârint libertatem, vulgò circumfertur, ſed fusè illam fabulam falſi convincit *Conring. de fin. Imp. L. IX. c. 23.* & quod ſingulatim Lucenſes attinet, Ludovicum IV. Imperatorem, Caſtruccium Ducem Lucenſem ac Lunenſem creâſſe, eumque Lucenſibus præfeciſſe, modò laudatus Autor tradit. Carolus autem IV. Cardinalem quendam Gallum Vicarium urbi conſtituit, qui tamen acceptis 25000. aureis, demandatam provinciam deſeruerit. Ex eo ſibi fuit relicta urbs, Cæſarem tamen Carolum V. cum introitum haberet, prout Dominum ſubmiſſâ reverentiâ excepit, tradente *Jovio L. 26.*

XII. Ergò de Principibus & Rebuſpublicis Italicis in quantum Imperio ſubjecti ſunt, hæc ſufficiant. Reſtat adhuc, ut diſpiciamus, quod tribunal Principes Italici in jus vocati, ſequantur. Cauſas autem Italicas à Supremo Camerali Judicio exemptas eſſe cum aliis pluribus tradit quoque *Limnæus L. IX. J. P. c. 2.* neque conveniendos Italicos Principes in Judicio Auſtregarum, in quo tamen jus redditur Electoribus & Principibus Germaniæ, aſſerit *Dn. Schurzfleiſch. in diſput. de diviſione Imperii Carolini circa fin.* Sed in controver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ſiis ad regalia pertinentibus aliiſque, Imperatoris & Judicii Aulici Tribunal legitimum eorundem forum eſſe, teſtatur *Mauritius Diſp. de Jud. Aul. th. 13.* Fidemque facit adjudicatio Caroli V. in cauſa Montisferratenſi, conſtatque ſequentium Auguſtorum exemplis; & Jus Cæſareum in litibus ventilandis pariter ac decidendis, obſervari ſolet.

XIV. Poſtremò, voto finiendum ſit. Deus Une, Vere, Optime, Maxime, Auctor ac Stator Regnorum omnium, qui Rom. Germanicum Imperium tantis auctibus extuliſti, Te publicâ voce obteſtor atque oro, conſerva, protege hunc Statum, hunc Imperatorem, hos Electores atque Principes, eiſque functis longiſſimâ ſtatione mortali, da Succeſſores quàm ſeriſſimos, & quidem eos, qui fortiter ſuſtinendo Rom. Germanico Imperio ſufficiant, quam hactenus ſuffeciſſe ſenſimus, juſtiſſimis eorum armis propitius adſiſte, conſiliaque pia juxta ac ſalutaria in felicem exitum provehe!

ANNUE ô REX REGUM!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

ILLUSTRISSIMO COMITI
JOANNI GUILIELMO
COMITI DE WURMBRAND,
S. P. D.
JOANNES GEORGIUS
GRAEVIUS.

NOn Tibi magis gratulor, Illuſtriſſime Comes, quam noſtræ communi patriæ, juxtaque præclaris præſtantiſſimarum artium diſciplinis, qui in tanto natalium ſplendore tantum in iis colendis ſtudii operæque poſuiſti, ut, licet non tam in illuſtri loco natus eſſes, tuum tamen excelſum ingenium, tua eximia virtus, tuaque ſingularis doctrina in illum te poſſet collocare; ut tam non Te ornent avita proſapiæ tuæ decora,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

cora, quam Tu ſis ipſis ornamento. Quam pauci ſunt, qui doctrinæ opinione ſe ſupra fortunæ ſuæ humilitatem extollere ſtudent, eaque unice cenſeri volunt, qui in iſta ætate progreſſi ſunt ad eam eruditionis ſummam, ad quam Te felicitas tui genii, ardensque ad editum ſapientiæ culmen enitendi ſtudium produxit. Cum enim in animum id induxiſſes, nullam purpuram, nullas trabeas, nullas infulas tantum honeſtare nobilitatem antiquam, quam animum excultum illis artibus & virtutibus, quibus vera non fucata gloria comparatur, quæ non alieno, ſed ſuo nitet ſplendore, nihil curæ, induſtriæ & laboris prætermiſiſti, non pepercisti tuæ non firmiſſimæ valetudini in verſandis nocturna diurnaque manu illis ſapientum hominum monumentis, ex quibus hæc hauriuntur; non tædia, periculaque itinerum in longinquas regiones devitâſti, ad quærenda pulcherrima iſta bona, ut Te ipſe hujus voti compotem faceres. Gratulor igitur Tibi de hoc animo, qui multis populis ſaluti, ſic augurari libet, Tibi tuæque Illuſtriſſimæ familiæ ſempiterno erit ornamento. Gratulor etiam Germaniæ, in qua per Te reviresſcet illa gloria, quâ in primis floruit, cum tot tulit viros, quos æquè ingenii doctrinæque ac nativitatis illuſtris claritas conſecravit. Quis enim niſi barbarus ignorat,

ut alios innumeros prætercam, Baronem E-nenkelium, civem tuum, elegantia eruditionis ſuperiore ſeculo nullo inferiorem, aut quæ modo in noſtri temporis decus fulſerunt ſydera, Celſiſsimum Fürſtenbergium in hac vicinia, Generoſiſſimos Friſios in Saxonica, Illuſtrem Boineburgium in Moguntina Aula, qui in tanta fortunæ indulgentia, in tanta imaginum multitudine, in tantâ dignitatis celſitudine, tantâque mole rerum præſtantia & ubertate doctrinæ iis quoque palmam faciebant ambiguam, qui nihil aliud per omnem vitam egerant, quam ut eam in ſtudiis traducerent, in iiſque conſeneſcerent. Hanc patriæ noſtræ dignitatem Tu ſuſtinebis, & propagabis. Gratulor etiam noſtris artibus, quas multi ad latebras ſcholarum, templorum, & tribunalium abjiciunt, tanquam nobilitatibus indecoras, quæ lucem Aularum & reipublicæ ferre non poſſint. Tu verò vidiſti, qui ſic ſentiunt a vulgo non animo diſtare, quamvis diſtent copiis & ſpecie vitæ; & maluiſti ſapere non modo cum iis, quos commemoravi, immortalis memoriæ viris, ſed etiam cum priſcis illis heroibus, Alexandro Magno, Julio Cæſare, Antonino Philoſopho, qui decrerant, nulla ſplendidiore gemma diademata ſua ornari, quam ingenii & eruditionis fulgore. Credidiſti potius Magno Theodoſio,

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

quam iis qui nihil ſunt niſi Cecropidæ, præcipienti filiis ſuis Arcadio & Honorio;

Interea Muſis, animus dum mollior, inſta,
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.

Macte eſto hoc animo & hoc conſilio, Illuſtriſſime Comes, Deus Te ſervet, & incolumem ad Tuos Te reducat, ut patria tua fructus, quos expectat, ex Te capiat. Trajecti poſtridie Kl. Januar. CIↃ IↃC XCII. Juliani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 480